DÆMONOLOGIA
SIVE
DUÆ DISPUTATIONES THEOLOGICÆ
DE
MALIS ANGELIS,

Qvarum prior malorum Angelorum Definitionem proponit, ejusdemqve tradit ANALYSIN; Posterior verò qvædam PROBLEMATA exhibet, eorundemqve brevem monstrat EPILYSIN

CONSENSU

Reverendissimæ Facultatis Theologicæ in alma Philuréa conscriptæ

&

PRÆSIDE

DOCTORE THEOLOGO

SUMME REVERENDO, MAGNIFICO, ATQVE EXCELLENTISSIMO

DNO. JOH. ADAMO SCHERZERO,

S. S. Theol. Prof. Publ. Primario undiqvaqve celeberrimo, &c.

Præceptore ac Patrono suo maximo

solenniter habitæ

Hactenus seorsim, nunc vero conjunctim editæ

à

M. CHRISTIANO TRAUTMANNO,

SS. Theologiæ Baccalaureo.

LIPSIÆ

LITERIS SPÖRELIANIS.

A. O. R. cIↃ IↃc LXXII.

A. 5083

~~[illegible]~~

BK

Cum Trinuno Deo Meo

DISPUTATIO I.

Tradens Definitionis Malorum Angelorum

ANALYSIN.

§. I.

D. Johannes, *columna illa Ecclesiæ*, ut à Principe Apostolorum D. Paulo *Gal. II. 9.* nominatur, in *Apocalypsi* (qvæ *tot habet Sacramenta, qvàm Verba*, teste Hieron. *ad Paulin.*) *c. XX. 7. 8.* in hæc prorumpit verba: *Et cùm consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suô, & exibit, ut seducat gentes, qvæ sunt super qvatuor terræ angulos Gog, & Magog, & congreget eos in prælium, quorum numerus est, sicut arena maris.*

§. 2. Hoc vaticinium novissimâ hâc mundi Senectâ, qvâ tanta malorum impendet ilias, ad impletum esse, & adhuc adimpleri ipsa testatur experientia, qvæ est qvasi politissimum speculum temporis illius, qvod Johannes prædixit. Vidimus enim hactenus Satanam exiisse & seduxisse gentes: vidimus ipsum congregasse proh dolor! Gogum & Magogum ad inferendum bellum castris Sanctorum *Dan. VII. 21.* Vidimus proximè præterlapsis annis Turcam, Tartarosq; ascendisse in latitudinem terræ, & nihil magis in votis habuisse, qvàm ut occupatâ Hungariâ universas Germaniæ oras in suas redigissent potestates, qvam publicam calamitatem à nobis & totô orbe Christianô clementissimus Deus, qvi *gladium iræ & vindictæ semper oleo φιλανθρωπίας exacuere solet*, ut loqvitur Nicephorus *l. 17. c. 3.* sancitâ inter Romanum Imperatorem & Turcicum Tyrannum pace clementissimè avertit. Pro qvâ divinitus collatâ pace Principi pacis Christo Jesu gratias, qvantas animus noster capere potuit, publice egimus, & adhuc agimus maximas, illiusq; bonitatem supplices veneramur, ut imposterum qvoqve Ecclesiæ suæ afflictissimæ Halcyonia largiatur, à templis nostris Sacrilegia, ab oppidis direptionem, ab agris vastitatem, imò ab universo orbe Christiano qvævis imminentia mala clementissimè avertat, incorruptum cœlestis suæ veritatis thesaurum unà cum pace Ecclesiasti-

cà & Politicâ nobis sartum tectum relinqvat, *tumultuantia maria increpet, intraq; suos limites, qvos olim fixit, se continere jubeat, feras pecorum nostrarum consortet, pacem nostrum terminum ponat Ps. CXLVII. 13. & in diebus nostris nos liberet Sir. L. 26.*

§. 3. Qvomodo a. hæc Prophetia de mille annis, de carcere Diaboli, ejusq; solutione è carcere, deq; Gogô & Magogô dextrè sit intelligenda, non scrupulosè hâc vice indagabo, sed tantum animi prolubium est, D. August. verba hîc adscribere. Sic a. ille in locum Johannéum suprà allegatum perpulchrè commentatur: *Hæc,* ait, *erit novissima persecutio novissimô imminente judiciô, qvàm sancta Dei Ecclesia totô terrarum orbe patitur, universa sc. civitas Christi, ab universâ Diaboli civitate, qvantacunque erit suprà terram.*

§. 4. Certum igitur est, D. Apostolum in hoc sacro Oraculo magnam describere Diaboli potentiam. *Qvemadmodum enim alligatio Diaboli est non permitti exercere totam tentationem, qvam potest vel vi, vel dolô: ita solutio & egressio Satanæ liberam ejus grassationem, magnam potentiam, fervidamq; mali machinationem notat,* ut Augustini & Primasii verba hîc mea faciam.

§. 5. Hanc a. materiam de Dæmonibus seu Angelis malis hâc vice sub incudem συζητήσεως Academicæ ideò revocare volui; (1) qvia hæc doctrina rarenter in Scholis pertractatur, (2) qvia studia mea Theologiæ, *omnium scientiarum reginæ* mancipare cum Deo constitui. Qvum autem Theologiæ studiosi ac fideles Ecclesiæ ministri *Diabolorum sint tragœdia*, uti eos ille è piis veteribus appellitare solebat, & peculiari qvâdam ratione sibi Diabolum habeant infensum; hâc dissertatione animam meam velut tyro, & inexpertus miles ad prælia Domini & tentationem præparare *Sir. II. 1.* & hostis, cum qvo imposterum mihi congrediendum, naturam & genium veteratorium, ejusq; astutias, rictus, ictus, verbera, stratagemata, & tentamenta qvævis alia addiscere prius volui, qvàm cum hoste hôc veteranô, versutissimô & versatissimô in arenam descenderem: *Hostem enim nosse, bona pars est victoriæ.* Et sicut David in magnô periculô erat constitutus, qvando ipsi ut juveni adhuc rei militari inexperto cum magnô & veteranô milite Goliatho erat congrediendũ. *1 Sam. XVII. 32. seqq.* itâ video me in magnô discrimine

esse

esse constitutum, qvando mihi cum infensissimô hôc hoste in arenâ descendendum. (3) Qvia nihil me extra oleas facturum arbitratus sum, si tempori observantiam admetiens, huic etiam materiam seligerem accommodatam, præsertim cum hôc ipsô anni tempore Ecclesia doctrinam de malorum angelorum potentiâ tractandâ proponat: Meritò igitur monitum Apostoli secutus καιρῷ δουλεύειν *tempori inservire* volui *Rom. XII.* 12. (4) Hâc dissertatiuncula piorum animos excitare volui, ut in hâc decrepitâ mundi senectâ naturam μεθοδείας & potentiam Diaboli probè observent, & maturè contra ἔφοδον hunc hostem arma capiant. Nam, qvò magis appropinqvat finis mundi, eò major est furor Diaboli. *Hinc auditur vox de cœlô: Væ habitatoribus terræ & maris, qvia descendit Diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens, qvod modicum tempus habet. Apocal. XII.* 12. Hoc modicum tempus & hanc opportunitatem (καιρὸς enim temporis opportunitatem, non longitudinem notat) studiosissimè Diabolus observat, nec ullam nocendi occasionem praetermittit. Hinc rectè Cyprianus *in serm. de Simplic:* *Prælatorum* inqvit: *adimpletæ sunt iniqvitates, & appropinqvante seculi fine, hominum pariter & temporum probationes venerunt, magis magisq; adversariô nostrô sæviente, error fallit, extollit stupor, livor incendit, stupidus excœcat, depravat impietas, superbia inflat, discordia exasperat, ira præcipitat.*

§. 6. In duabus his igitur disputationibus *omnis mali promptuarium*, ut Basilius Diabolum appellat, *Serm. qvod Deus non sit autor mali T. I. p. 181. omnium vitiorum ducem atq; Imperatorem*, ut eum Gregorius Nyssænus *de vitâ Mosis p. 197.* indigitat, vivis qvasi coloribus depingam, & deinde omnis boni autorem & victorem Diaboli potentissimum CHRISTUM JESUM, oculis mentis contemplabor, qvem oculis corporis in hâc vitâ non possum, cum Deô ac die de SACROSANCTO IPSIUS MERITO SACERDOTALI dissertatiunculam instituturus.

§. 7. Non a. hâc vice differam de Angelorum malorum ordine. nec eorum numerabo numerum, nec causam obstinationis in malô studiosè investigabo, nec absolutam & plenam de Angelis malis, deq; ipsorum efficaciâ & effectibus, atq; adeo de Magiâ &

Magicis actionibus tractationem suscipiam, sed impræsentiarum DÆMONUM NATURAM ET POTENTIAM non qvidm accuratissimô penicillô delineabo, sed tantùm populari qvâdam trutinâ examinabo.

§. 8. Qvum a. ordo sit disciplinarum, adeoq; tractationis omnis anima & de Xenophontis sententiâ τῆς τάξεως μηδὲν κάλλιον idcirco non ἀμεθόδως sed ἀποδεικτικῶς procedemus, & totum hunc de Dæmonibus seu Angelis malis discursum duabus sectionibus includemus, qvarum prior certas THESES, additis interdum argumentis, qvæ in contrarium producuntur, cum brevi eorundem solutione exhibebit: posterior a. qvædam PROBLEMATA in medium proferet.

§. 9. Anteqvam a. arduam hanc rem aggrediamur, *Filium Dei, qvi in hæc apparuit, ut dissolvat opera Diaboli* 1. *Joh. III. 8. ardentissimis gemitibus invocamus, ut omne opus Diaboli in nobis destruere, lingvam nostram, cui neqvissimus ille Spiritus potissimùm insidiatur, utiliqvet Matth. IX. 32, Marc. VII. 32. aperire, & ad nominis sui gloriam studium hoc nostrum dirigere unicè velit.*

SECTIO THETICA.

THESIS I.

§. 10. Qvum qvandoq; *intelligentia rerum pendeat ab intelligentiâ verborum*, teste Platone hâc in parte Stoicos imitabimur, qvi studiosè inqvirebant, *unde verba sint ducta*, uti de illis refert eloqventiæ parens *Tusc. qvæst. l. 1.* & *in* præsenti disputatione terminos qvosdam evolvemus, & ab æqvivocationibus liberabimus, ne in errores præcipites ruamus.

TH. II.

§. 11. Occurrit autem in frontispiciô hujus disqvisitionis vocabulum DÆMON, cujus tùm Nominis, tùm Rei observanda definitio.

TH. III.

§. 12. Definitionem Nominis ἔνεκεν εὐμεθοδείας meritò præmittimus. Ἀρχὴ γὰρ τῆς παιδεύσεως ἡ τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψις ni-

initium doctrina est nominis consideratio, inqvit Socrates apud Arrianum, *& usu vocis cognitô sæpè inducimur in rei perceptionem*, teste Scaligerô *Exercit. I. Sect. I.*

§. 13. Appellant autem EBRÆI omnia Dæmonia vel Dæmones שדים h. e. Prædatores & vastatores qvum שוד vel שדד (unde German. Schaden deduci posse videtur.) evertere, rapere, prædari vel vastare significet. Qvô titulô suô meritò ornantur mali Spiritus. Nam illi sunt, qvi semper Domini hæreditatem deprædari & vastare contendunt: hi sunt illi homicidæ ab initiô, non qvidem *creationis*, sed *defectionis Joh. IIX. 44.* hi sunt illi infernales latrones, Angeli noctis & tenebrarum, ut eos Ambrosius *lib. 7. in c. 10. Luc. T. 4. p. 690.* appellat, qvi primos nostros parentes imagine Dei, verâ justitiâ & sanctitate, aliisqꝫ donis gratiæ spoliarunt, & qvoad bona naturæ vulneratus, & semimortuos, à vitâ nimirùm Dei abalienatos, in peccatis mortuos & vitâ duntaxat naturali præditos relinqverunt *Luc. X. 30. seq.* hi sunt illi funestissimi vastatores illorum bonorum, qvæ nobis divinitùs data sunt. Hinc rectè Athanasius *in vita S. Antonii* horum latronum & vastatorum genium his verbis depingit: *Si qvod in peccatoribus malæ mentis & pavoris semen invenerint, qvasi latrones, qvi deserta obtinent loca, captos cumulant timoribus, & crudeliter irruentes, infelicem puniunt animam.* De Hæbraicâ hâc nominis notatione lege, si volupe est, Fabian. Justin. *Com. in Cap. III. Tobiæ v. 8. p. 170.* Buxtorf. *Lex in radice* שדד *p. 775.* φιλολογίζονται Ludov. Dieu *ad Matth. IX. p. 33.* Ad Ebraicam Etymologiam pertinent etiam nomina Satan. & Zabulus. Prius Justinus *Dial. cum Tryphone p. 259.* vult esse compositum ex שתה avertit se, recessit, & נס serpens נשח sed Aramæi elidunt ח gutturalem, inde ergò fit נש pro ponunt ס. Sed rectius à סטן deducitur, qvod significat adversatus est, impediit, detraxit, qvam Etymologiam ipse Spiritus S. monstrat *Zach. III. 1.* (an autem Satan semper & ubiqꝫ notet reprobatorum Angelorum primipilum, qvi cæteros seduxit vide Walth. *in Centur. Miscell. qvæst. 59. p. 498.* Conf. *qvæst. 70.*) Posteriori nomine nonnulli Ecclesiæ Doctores Diabolum appellare solent. Et putant Erasmus & Scaliger Patres hâc voce uti locô Diaboli qvia τὸ

ζὲ

ζὰ Doricè pro Διὰ usurpetur. Sed Cornelius à Lapide nomen Zabulus à זבל deducit, ut βεελζεβὺλ idem sit ac Jupiter stercosus, de qvô vide Harmon. Chemnit. *c. LIX. p. 598.* Anal. Evang. Dominic. B. Dieter. *Dom. Ocul. p. 603.* Pasorius *Etymol. Nom. propr. p. 10.* De nomine Satanas vide B. Gerh. *Harm. c. CLXVIII. p. 963. & Com. in Cap. V. prior. Epist. Petri p. 777.* De nomine Zabulon vel Zabulus vide Cornel. à Lap. *ad Epistol. Judæ p. 583.*

TH. V.

§. 14. GRÆCIS Δαίμων dicitur, qs. δαήμων sciens, sapiens, curiosus, peritus & gnarus juxta Platonem ex δαίω disco, scio. Multa enim Dæmon scit, & ex antecedentibus & conjecturis sagacissimè res explorat, ingeniô valet & versutus est. Seu, ut vult Eusebius, δαίμων dicitur qs. δειμαίνων exterrens, & pavefaciens. Terrori enim est nobis, cum visibilis apparet. De hâc Græcâ nominis Dæmon originatione vide Marc. Marul. *de Spectris c. 11. p. 244.* Pasorem *in Lex Græc.* eruditissimô *p. 162.*

TH. VI.

§. 15. Græcis qvoqꝫ suos natales debet vocabulum Diabolus. Dicitur enim διάβολος ἀπὸ τοῦ διαβάλλειν calumniari, qvod // nomen Satanæ in N. Testamentô *bis tricies* tribuitur, & qvidem ideò, qvia est accusator fratrum nostrorum, qvi *accusat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte*, uti Etymologiam hanc Diaboli eleganter explicat D. Johannes in *Apoc. C. XII. 10.* Qvò etiam collineat D. Chrysostomus, dum in *Hom. 2. in post. ad Cor.* ita disserit: *Diabolus vocatur primò, qvia Deum incusat apud homines, qvoniam sc. divinæ misericordiæ calumniam struit, & ad desperationem homines sollicitat. Secundò qvia homines accusat apud Deum Apoc. XII. 10. qvoniam peccata, in qvæ eos præcipitavit, coram divinô judiciô exaggerat, vel mercedis tantum causâ illos Deo servire calumniatur Job. I. 9. Tertiò homines inter se invicem, qvando unius videlicet ejus, qvi calumniam profert, lingvam, alterius verò videlicet ejus, qvi calumniis delectatur, aures occupat, & hâc ratione tertiæ alicujus personæ famam insuper lædit.* Syris Diabolus vocatur אכלקרצא devorans calumnias, vel vivens calumniis. *Matth. XXV. 41.* alibi vid. Dilher. Viam salutis p. 675.

Con-

Confer qvæ de hâc etymologiâ notant Juſtinus *in Paræneſ. ad Græcos p.21.* & Lactantius *lib.2. Inſtit. cap.8. p.93.*

TH. VII.

§. 16. Eſt autem nomen Diaboli πολύσημον, nec unô modô in Scripturis uſurpatur. Accipitur enim vel ut *Proprium*, vel ut *Appellativum*. Ut *Proprium* accipitur vel ἀτόμως, & ita tribuitur Principi & capiti malorum Spirituum *Matth. XXV. 41. Apoc. XII. 9. 10. Matth. IV. 1. Luc. IV. 2.* vel συναγωγικῶς, & ita tribuitur univerſo cœtui malignorum Spirituum *Luc. IIX. 12. Act. X. 38. Eph. VI. 11.* vel μετωνυμικῶς & ita tribuitur hominibus impiis, qvi ſunt organa & filii Diaboli, uti vocantur *Joh. IIX. 44. Act. XIII. 10.* Sic Chriſtus *Joh. VI. 70.* Judam proditorem ſuum vocat Diabolum, qvia in proditionis ſcelere ſeſe organum Diaboli præbuit. *Appellativè* ſumitur nomen Diaboli, pro qvô vis calumniatore, qvô ſenſu uſurpatur *I. Tim. III. 11. II. Tim. III. 2, Tit. II. 3.* Qvo etiam qvidam referunt loca *Epheſ. IV. 27. I. Tim. III. 6.*

TH. IIX.

§. 17. Qvidam in hujus Græci vocabuli origine qværunt derivationem LATINAM. Hinc Gerſoni *tract. 9. ſuper Magnificat. Diabolus dicitur qvaſi deorſum fluens*, cujus Etymologiæ rationem exponit Bonaventura *lib. 2. Sent. diſt. 5. q. 1. Dictus eſt Diabolus, qvia deorſum fluxit, & ex hôc in ſuâ malitiâ firmatus fuit, & ideo Magiſter deſcribens perfectam averſionem, qvalis in Diabolô, non qvalis in hominibus peccatoribus, dicit, qvod averti eſt odiô habere, vel invidere. Diabolus enim non valens conſcendere, ſed compulſus deſcendere odit Deum juſtum & invidet excellentiæ ejus.* Qvidam ex Scholaſticis Diabolum dictum putant *ex Dia, qvod eſt duo, & bolus, qvia, qvando hominem in naſſam ſuam pertrahit, duos ex ipsô facit bolos, dum ipſius corpus & animam perdit.* Sed hæ Etymologiæ non ſunt propriæ, ſed alluſivæ. Qvidam volunt, Diabolum ex cô ſic dictum, *qvod ſit impoſtor & fallax, adeò, ut ex amicis etiam inimicos faciat, & conjunctiſſimos ſæpè dirimat,* Sed hoc non aliâ ratione congruit nominis hujus Etymologiæ, niſi qvia calumnia calliditatem plerumq; conjunctam habet,

& dissolutionem amicitiæ secum trahit. Vide B. Gerh. *in Cap. V. prior. Epist. Petri p. 768. & 769.*

TH. IX.

§. 18. Restat, ut GERMANAM vocis Diaboli Etymologiam, vel ut Fabius loqvitur, *originationem* paucis evolvamus. Dicitur autem Diabolus in lingvâ Teutonicâ **Teufel** vel **Tüfel**/& qvidem, ut nonnulli volunt, *à Tibelinô idolô*, qvod cultum fuit in Noricô Germaniæ, uti Tertullianus *in Apologetico c. 24.* testatur: vel, ut alii existimant, **Teufel** dicitur qvasi **Tiefthal**/*qvia Diabolorum ordinaria habitatio est abyssus Apoc. IX. 11.* & κατώτερα μέρη τῆς γῆς *Eph IV. 9.* Alii scribunt **Deufel** vel **Deubel** per δ, & hoc Germanicum vocabulum deducunt à Græcô διαβάλλειν, qvod propriè est transfigere, idem qvod διαπείρειν trajicere **durch werffen/ durch schiessen/** per metaphoram calumniari. Qvod verbum Diabolo meritò tribuitur. Sicut enim telô trajicimus seu transverberamus feram: ita Diabolus Protoplastorum animos mendaciis & calumniis trajecit, & gravissimè sauciavit. Galli dicunt Diable: Angli Devil: Itali Diavolo. Et qvanqvam τὸ διαβάλλειν aliqvando accusationem justam notet, utpote *Luc. XVI. 1.* tamen in malam partem pro obtrectatore, sycophantâ, & calumniatore semper aliàs usurpatum legitur. Placet in enodatione Etymologiæ Germanicæ Germanica adscribere verba B. Lutheri, qvæ adducit B. Danhau. *Hodosoph. Christ. Phænom. IV. p. 394. & 395.* **Teufel ist ein Griechischer Nahme** Calumniator, **ein Verbrecher/ Lästerer oder Schänder/ das ist sein Ampt in der Schrifft/ daß er das ärgste redet von mir und dir:** S. Paulus 1. Tim. III. **schreibet von den Weibern der Predigern/ oder** Diaken, **daß sie nicht sollen** Diabolæ **seyn/ Lästerinnen/ das ist/ die von andern allezeit das ärgste reden/ und böses von andern ausbreiten und austragen/ oder die Gutes übel außlegen. Denn es ist der Teufel damit nicht zu frieden/ daß er das böse rüget/ sondern was gut ist/ das schändet er auch/ und machts böse; das heist ein Teufel eigentlich/ daß wenn ich etwas gutes thue/ so ist er hinter mir her/ und machts böse/ macht das Gute zu schanden und zu nichte/ und**

das

das ärgste bläset er auff/ und machts stinckend / erschrecket mich/ daß mir mein Hertz für unserm GOtt blöde und verzagt wird/ &c.

TH. X.

§. 19. Evolutâ Dæmonum definitione nominali nunc animi prolubium est, audire D. Augustinum, *in quem opulentus ille juxtà ac benignus DEI Spiritus dotes suas omnes largiùs effudit, quàm in ullum alium ex antiquitate Doctorem*, censente Erasmô Roterodamô *in Præfatione operum ejus.* Sic autem ille *l. IIX. de C. D.* malos describit genios: *Dæmones sunt Spiritus nocendi cupidissimi, à justitiâ penitus alieni, superbia tumidi, invidentiâ lividi, fallaciâ callidi.*

TH XI.

§. 20. Nos Dæmonum descriptionem ex sacris literis eruimus talem: *Dæmones sunt Spiritus mali, finiti, completi, intelligentes, virtute potentes, à DEO omnium creatore boni, justi, & sancti conditi, qui tamen a veritate, in quâ creati erant, liberâ voluntate defeciverunt, & peccaverunt, DEI hominumq; hostes facti infensissimi, atq; in judicium magni diei catenis caliginis servantur, cruciandi igne æternô.*

TH. XII.

§. 21. Qvùm autem definitio sit ipsius rei definiendæ explicatio, vel ut Aristot. *I Top* 4. loqvitur λόγος ὁ τὸ τί ἦν εἶναι σημαίνων, id est, ut communiter vertunt, *oratio explicans, qvid sit res, vel explicans alicujus rei essentiam, & definitionibus, qvam res vim habeant, est exprimendum*, teste eloqventiæ Parente *de Orat.*; ideo definitionis modò traditæ singula verba curatius examinabimus, & pleniùs discutiemus, reliqva sectioni Problematicæ reservaturi.

TH. XIII.

§. 22. Primum locum in definitione datâ occupat vocaculum DÆMONES, velut definitum. Dum autem Dæmones πληθυντικῶς dicimus, non unum, sed plures & innumerabiles esse malos spiritus, statuimus, non qvidem *respectu DEI*, qvi non solùm bonos, sed etiam malos Angelos in numerato habet, *sed respectu nostri* vel ut Timpler: Metaph c. 4 q. XIV. loqvitur *respectu nostræ apprehensionis*: Qvemadmodum enim multitudo sanctorũ Angelorum pios circumvallat, qvod patet *Gen XXIIX. 12*, XXXII. *1. 2*, *Ps.* XCI. *11.*

Luc. XVI. 22 ita existimandum est, Diabolum integros suos educere exercitus adversùs unum hominem, uti in unô obsessô integram Legionem Dæmonum fuisse *Marc. V. 9.* legimus. Qvod autem satis magna infelix & amplissima sit turba ad nocendum hominibus semper parata, id sacræ testantur literæ. *Deut.* XXXII. 17. dicitur de Israelitis, qvòd sacrificaverint לשדים *Dæmoniis* non Deo. *Luc. XI. 26.* inqvit Salvator de Diabolô, qvod ex homine ejectus, septem alios Spiritus deteriores adsumat, *II. Petr. II. 4.* fit mentio non unius Angeli mali, sed ἀγγέλων ἁμαρτησάντων: ubi vulgata versio habet præsens, Deus non pepercit Angelis peccantibus, sed in Græco textu est Aoristus, Præteriti significationem habens, qvi peccaverunt. Christus à Mariâ Magdalenâ septem Dæmonia ejecit: ubi *per septem Dæmonia* non intelliguntur *septem peccata mortalia*, uti qvidam cum Gregoriô existimant, sed per numerum certum Evangelista incertum, id est Dæmoniorum multitudinem significat. *Mos enim est Scripturæ septenarium numerum pro multis usurpare, propterea qvod omnes dies seculi in septimanas distribuuntur*, uti loqvitur Kimchi *in Comment. Es.* IV. *1.* Hinc B. Winckelmannus *Comment. in c. 8. Luc.* scribit, *hanc mulierem fuisse plurium Dæmoniorum mancipium* Conf. *Ezech.* XXXIX. *9. 12. Amos* I. *3. 6. 9. Zach.* III. *9. Matth.* XII. *45.* Itâ *Apoc.* XII. *4. draco cœlo ejectus tertiam stellarum partem secum traxisse dicitur.* Qvem locum Primasius Cæsariensis & Gerhardus *de Angelorum tertiâ parte cum Diabolô ob peccatum, invidiamqve suam cœlô deturbatâ* exponunt. Cum primis huc pertinent loca παράλληλα *Marc. V. 10. Luc.* IIX. *30.* ubi *malus Spiritus, Christo interroganti, qvod tibi nomen est? respondit, legio mihi nomen, qvia multi sumus.* Habebat autem legio decem cohortes, cohors qvinqvaginta manipulos, manipulus autem milites viginti qvinqve. Constabat itaqve legio in summa duodecies millibus & qvingentis militibus, juxta calculum Varronis *lib. 4. de Ling. Lat.* Secundum Vegetium autem legio continebat sex mille sexcentos & sexaginta sex milites. Vide Veget. *2. de re militari c. 6.* Magnus igitur est spirituum malorum numerus, imò ferè innumerus. Unde communis est Doctorum opinio,

totum

totum aërem scatere Dæmonibus, teste Hieron *super Ephes. C. VI. T. 9. p. 239.* Interim tamen definitus est *respectu sui* etiam malorum Angelorum numerus. Nam rei creatæ repugnat omnis infinitas, & sic etiam infinitas actualis multitudinis. Numerus autem qui Dæmonibus competit, non est *prædicamentalis*, proveniens ex qvanti continui divisione, ut habet Aristot. 3. *Phys. c. 6. 7.* cum qvô conf. de la Fuente *Phys. fol. 613.* cum Dæmones non sunt qvanti; sed *transcendentalis*, Spiritibus non repugnans.

Nec obstat, qvòd Christus *Johan. IIX. 44.* loqvatur μοναδικῶς qvando ait: *Diabolus in veritate non stetit.* Nam nomen Diaboli // in hôc locô Johanneô non accipitur *exclusivè*, sed *authoritativè*, ut significet *Diabolorum principem*, nec tamen reliqvi Diaboli excluduntur. Qvid qvod nomen terminatione *singulare*, interdum sumatur *collectivè*, & significatione fiat *plurale?* Ideo verò Scriptura de Angelis malis loqvitur in numerô singulari, qvia sub unô capite qvandam societatem & regnum constituunt. Vide Gerh. *in cap. 2. post Epist. Petr. p. 208.* 4

TH. XIV.

§. 23. Dæmonum EXISTENTIAM insinuamus verbô substantivô SUNT. Nam *unum qvodq; dum est*, (in sensu compositô) *necesse est esse*, teste Philosophô *l. 1. ἐρμῆν c. 8.* Existentiam autem Malorum Angelorum testatur. 1. SACRÆ SCRIPTURÆ EVIDENTIA (ex naturâ enim apodictice non sunt demonstrabiles & cognoscibiles, qvod tamen affirmant Marsilius *in 2. q. 2. a. 1. Concl. 1.* Bannez *P. 1. q. 50 a. 1.* Zumel *ibid. q. 1.* Suarez *Disp. Metaph. 35. Sect. 1. T. poster. p. 272. seq.*) 2. QVOTIDIANA EXPERIENTIA. 3. HOMINIS NATURA ET PROPRIA CONSCIENTIA. Existentia 1 2

SCRIPTURA S. multis in locis testatur esse malos Angelos: Describit enim ipsorum ἀποστασίαν *Joh. IIX. 44. II. Pet. II. 4. Jud. v. 6.* Lapsus autem distinxit Angelos, & ex qvibusdam fecit Diabolos: describit etiam ipsorum ἐπιφάνειαν. Nam Protoplastis Diabolus apparuit in formâ *serpentis*, *Gen. III. 1.* qvod D. Paulus de Diabolo interpretatur II. *Cor. II. 11.* Sauli apparuit in formâ *Prophetæ. I. Sam. XXVIII. 14.*: in pugnâ cum Michaele apparuit in

formâ *Draconis rufi, Apoc.* XII. 3. & 7. Jobo (juxtâ Chrysostomum) apparuit in formâ *nunciorum*, qvia nuncii venientes ab Hiob *Cap.* I. 14. in Ebræô מלאכים appellantur. Existimat ergô Chrysostomus *Hom. 2. th. 3. de patientiâ Jobi*, Dæmonem ipsum nunciorum formam & speciem ementitum fuisse. An verò Angeli ἀπλῶς Diaboli dicantur, qvæstio est, Drusius *L.* X. *observ. c.* IX. negat; Hakspanius econtrâ *Syllages fol. 244. seqq. 2. Pet.* II. v 4 coll. cum. I *Sam.* XIIX. 10. XIX. 9 XVI. 23 considerare jubet. 3. Scriptura describit malorum Angelorum κακουργίαν qvalis κακουργία est (1) Protoplastorum seductio *Genes.* III. 2. *seqq.* (2.) cum bonis Angelis dimicatio *Dan.* X. 13. *Apoc* XII. 13. (3.) in filiis diffidentiæ operatio. Hinc Apostolus Diabolum vocat Spiritum, qvi operetur in filiis diffidentiæ *Eph.* II. 2. i. e. qvi nunqvam qviescit, sed malitiam suam semper exercet. qvod Paulus voce νῦν innuit. Non autem operatur in omnibus sed ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας in infidelibus & contumacibus qvi se qvasi mancipârunt infidelitati, ideò filii infidelitatis vocantur, donec Spiritu Dei immutentur. Vel per Ebraismum: filii infidelitatis sunt iidem, qvi filii infideles & contumaces, qvi Diabolo, ut Parenti suo, in omni infidelitate & contumaciâ obseqvuntur. Nam nomen בן filius & בת filia *in regiminis statu positum, & cum nomine rei inanimatæ constructum multos facit Ebraismos.* Vide Glass. *Gramm Sacr. l.* III. *tract.* 1. *p. marg.* 132.

Qvia igitur malis Angelis tribuuntur actiones & ἐνέργειαι, & qvidem maligna opera, qvæ neqve Deo, neqve Angelis bonis adscribi possunt, utiqve Diaboli erunt substantiæ & reverà subsistent. Nam *actiones & passiones solis substantiis conveniunt*: vel, ut alii hunc canonem enunciant, *actiones sunt inviduorum.*

Deinde esse malos Angelos testatur QVOTIDIANA EXPERIENTIA. Nam qvòd tot patrantur homicidia, adulteria, perjuria, qvòd tot tragici casus audiuntur, qvod tot persecutiones excitantur, id manifestum indicium est, esse malos Angelos. Cum enim hæc mala culpæ non sint à Deo, qvi *non est Deus volens iniqvitatem Psal.* V. 5. neqve à bonis Angelis, *qvi omnes conspirant ad Electorum incolumitatem & salutem Ebr.* I. 14. neqve si omnes circum-

eum ſtantias penitius conſideres, ſolis hominibus adſcribi poſſunt; utiqve dantur mali Angeli, qvi homines ad tanta facinora perpetranda impellunt.

Deniqve eſſe malos Angelos teſtantur hominis NATURA & propria CONSCIENTIA. Nàm qvòd non ſolùm pueri, ſed adultiores in tenebris & locis ſolitariis meticuloſi ſunt, & formidant nocturnos Lemures (qvos Porphyrius vult *Remures* dictos à *Remô*, cujus interfecti ſpecies nocturna ſeu umbra Romulo fratri Remi, qvi Romam condidit, & primus fuit Rex Romanorum, objecta fuit, eumqve miris perterruit modis,) eô ipsô, propriâ conſcientiâ convicti & conſtricti, teſtantur eſſe Cacodæmones, qvi hominibus utiqve inſidiantur. Qvæ theſis opponenda eſt.

I. SADDUCÆIS, de qvibus ἀυτόπις & ἀξιόπις teſtis D. Lucas ſcribit Act. XXIII. 8. qvòd non crediderint, *ullum eſſe Spiritum*. E. nec exiſtentiam Diabolorum crediderunt.

II. PHARISÆIS, qvi *qvidem non negabant eſſe Diabolos, ſed tamen eorundem potentiam & vires irridebant, & per contemtum* δαιμονιάρχην *ſeu Archi-diabolum Beelzebub h. e. Muſcarum regem vocabant, innuentes, ſe tam facilè illum qvàm granduſculam aliqvam muſcam depellere poſſe.* Vid. Harmon. Chemnit. *Cap.* LXV. *p.* 708. Beelzebub

III. LIBERTINIS, *qvi ſtatuerunt, malos Spiritus non eſſe verè* ὑφιστάμενα, *ſed malos affectus & vitioſas carnis cogitationes, à qvibus ad peccatum ſollicitamur, vel etiam juſta Dei judicia, qvando propter peccata commiſſa pœnis promeritis ſubjicimur.* Id qvod *etiam David Georgius, Hollandus Baſileæ Patrum tempore docuit.* Sed hunc errorem prolixè refellunt B. Gerh. *Comment in cap. V. prior. Epiſt. Petr. p.* 822. Balduin. *Comment. in Epiſt. ad Eph. c.* VI: *p.* 752. Magnif. Dn D. Kromayer. *Theol. Poſit. Polem. a.* 4. *th.* 10 *p.* 283 *ſeqq.*

IV. Qvibusdam PONTIFICIIS *Sadducæorum errorem amplectentibus*, contra qvos ipſi ſocienni utpote Salmero & Ambroſius Catharinus *Comment. in Cap. V. 1. Epiſt. Petr.* prolixè diſputant.

V. ANABAPTISTIS. *Hi enim teſte Chemnitiô in Loc. Theol. ſuperiori ſeculô negârunt, eſſe peculiares creaturas, qvæ vocentur Angeli, ſed ſi qvando Deus exerat ſuam potentiam ad nocendum vel puniendum,*

vocari

vocari hoc Angelum malum: & contra bonum appellari, si quando Deus nos custodiat & conservet. Hisce Qvackeri nonnulli in Angliâ sunt addendi.

VI. HERMANNO RISSWICH Batavô, *qvi circa annum Christi 1500. negavit Angelos creatos esse, sive bonos sive malos, qvod illud Scriptura non testetur in Catal. Haret.* Lüzenburg, qvi omnes ejus errores recenset.

VII. EPICUREIS, *qvi verbis aut factis testantur, se non credere esse Diabolos, vel saltim non tam atros esse, ut pinguntur. Hinc multoties vel seipsos vel alios ac sæpe frivolas ob causas Satanæ & diris omnibus devovent.* Qvibus meritò annumeramus R. Menass. B. Israel de qvo Voëtius Disp. Select. p. 921. refert, qvod in colloqvio familiari professus sit, *se nescire an sint Diaboli: De Angelis qvidem certum esse ex Scriptura, de Diabolis verò non item:* ut & Antonium Urceum Codrum, Grammaticum Brixiensem, *qvi ea, qvæ de inferis homines prædicarent, anilia dicebat esse terriculamenta,* vid. Theodor. Zvving. Volum. XVII. lib. 8. p. 3200. Et tantum de Dæmonum *Existentiâ*: nunc eorum *Essentiam* contemplabimur.

TH. XV.

§. 24. Qvæ verò sit Dæmonum ESSENTIA, non semper omnium eadem fuit opinio. Nos in modô data definitione Dæmonum essentiam notamus voce SPIRITUS. Nomen autem Spiritus propriè sumtum, & de substantiâ intelligente acceptum, substantiam incorpoream significat. Hanc nostram sententiam firmat.

1. SACRA SCRIPTURA, qvæ Dæmones disertè Spiritus appellat. Sic Dæmon, qvi vexabat Saulem, vocatur רוח *I. Sam. XVI. 23.* Sic Diabolus vocatur *Spiritus mendax, I. Reg. XXII. 22. Spiritus immundus Zach. XIII. 2. Luc XI. 24. Spiritus fornicationis Hos. V. 4. Spiritus vertiginis Es. XIX. 14. Spiritus nequam I. Sam. XVI. 14. Spiritus erroris I. Tim. IV. 1.* Ubi Theophylactus per πνεύματα πλάνα Dæmones intelligit: unde & legit διδασκαλίαις δαιμόνιον. *Spiritus mutus Luc. XI. 14.* δαιμόνιον κωφὸν per metonym. effecti: qvia hominem, qvem obsederat, mutum reddiderat.

2. OPPOSITORUM NATURA, qvæ in eô consistit ut unum

num oppositorum non sit aut fiat alterũ oppositorum, & juxta subtilitatis Magistrum, *oppositorum sit disjunctio, non conjunctio Exercit. 170.* Jam verò Spiritus exactè corporeæ naturæ ac moli contradistingvitur Luc. XXIV. 39. sibiqve invicem opponuntur. Si igitur Dæmones sunt Spiritus, uti modò ex sacris literis evicimus, utiqve non erunt substantiæ corporeæ.

3. RATIONIS STRUCTURA. Suprà Th. XIV. § 23. adduximus loca *Marc. V. 10. Luc.* IIX. 30. ubi dicitur, qvòd in unô homine fuerit legio Cacodæmonum. Hinc tale fluit ratiocinium:

Si tot Dæmones simul & eôdem tempore possunt esse in uniùs hominis corpore, utiqve erunt incorporei. Nam si corporei essent, & proinde materiales, haberent suam qvantitatem, & proinde forent impenetrabiles, nec possent naturaliter esse plúres in eôdem ubi, nec etiam cum aliô corpore essent simul. *Sed verum prius*, ut patet ex locis adductis. *E. & posterius.* Unde etiam Bonaventura *l. 2 sentent. distin. 8. art. 1. qu.* ait: *Si Dæmones corpora haberent, cum suis corporibus nullô modô possent subintrare corpus ita modicum.* Vide hâc de re eleganter differentem Petavium *Tom. 3. Theol. Dogm. c. 2. & seq. & l. 3. c. 1.* & cumprimis B. Scheiblerum *oper. Metaphys. T. II. cap. 4. tit. III art. III. n. 28.* Qvibus junge *Magnif. Dn. D.* Kromayer. Theol. Pos. Polem. th. 14. p. 291. *Dn. D.* Finck. *Controv. P. 2. Schediasm. 1. p. 2. 3. 9. seq.* Jacob Rauppium *Biblioth. Portatil. P. 1. c. 2. p. 37.* Rober. *Colleg. Theol. Disp. 4. Sect. 2. thes. 2.* Bissel. *Illustr. Ruin. Decad. 1. p. 22.* Vazqvez *q. L. a 1. D. 128. c. 4.* Becanum *Theol. Schol. Tract. 3. c. 1. q. 2. p. 100.* Thom *q. 50. a. 1.* Suaretz. *D. 35. Sect. 3. p. 282.* Caspar Schott. *Physic. Curios. l. 1. c. 3. §. 11. p. 3.* Et hæc nota contra eos, qvi Diabolis attribuerunt corpora, qvales fuerunt.

I. PLATONICI, *qvi Diabolis attribuerunt corpora elementaria, vel aqvea, vel aërea, vel ignea.* Sed (1.) Scriptura Dæmonibus non tribuit corpora, sed Spiritus nominat, ut modò vidimus. Spiritus a. nec carnem nec ossa habet *Luc.* XXIV. 39. E. nec corpus. [2] Si Dæmones haberent corpora elementaria, essent corruptioni obnoxii. Nam qvalitates elementares modò inter se confligunt, modò intereunt. At Dæmones corruptioni non sunt

obnoxii, (3.) Si Dæmones essent ex certô aliqvô elementô, necesse esset, ut seqverentur motum ejus elementi, ex qvô esse finguntur.

II. MICHAEL PSELLUS Philosophus Constantinopolitanus seculô à natô mundi Salvatore undecimô clarus, qvi *Dial. de Oper. Dæmon.* edit. Gilberti Gaulmini Lutet. Paris. Annô Christi M DC XV. p. 29. ita scribit: Οὐκ ἀσώματον τὸ δαιμονιόν ἐστιν οὗλον μετὰ σώματος δέ γε καὶ ἀμφὶ σώματα διατέτρυφε Dæmones incorporei non sunt, imò corporei & circa corpora versantur.

III. CALVINIANI nonnulli, *qvi Angelos etiam absolutè & in se consideratos corpora, eaq; non ad tempus assumta, sed sibi propria & essentialia, concreata & semper retinenda habere seriò statuunt & profitentur*, qvorum ex numerô est Hieronymus Zanchius *P. 1. de Oper. sex dier. l. 2. c. 3.* ubi scribere non dubitat: *Angelos habere corpora, sed tamen præstantioris ac sublimioris substantiæ, qvàm sunt vel aër, vel cœli, qvi è Chaos fabricati sunt.* Eandem sententiam etiam fovet Rudolphus Goclenius *in Disqvisit. Philosoph.* qvem eô nomine refutavit D. Finckius *Contr. P. 2. Schediasm. p. 2.* qvibus addatur Conr. Vorstius, Hugo Grotius. Gerh. Joh Vossius *l. 1. de Orig. & Progress. Idolol. p. II. c. 6.* Ludovicus de Dieu *ad Ps.* LXIIX. *& alii.*

IV. SCHOLASTICI qvidam, qvi *Angelis corpora subtilissima* tribuerunt. Vid. Lombard. *L. 2. Sentent. dist. 8.* Bonavent. Richard: Aureolus, Cajetanus & alii. Qvibus tamen contradicit Fabianus Justinianus *in Cap. VI. Tob. 4.* ita commentatus: *Angelos corporeos adserere non caret temeritate. Thomas Dæmones haud esse posse corporeos ex ipsâ perfectione mundi probat.* Hæc modò nominatus Justinianus.

V. ARMINIANI. Episcopius *Instit. L. IV. S. III. c. 2. p. 347.* non vult cordatè afferere, Angelos omni omnino corporeitate carere. In responsô 2. ad Epist. Waddingi *c. VI. an Cherubini nil aliud, qvàm puri Spiritus sint*, incertum esse ait.

VI. JUDÆI nonnulli, qvi statuunt שהמלאך יהיה נברא לעתו מן הגופים הרוחניים id est *Angelos*

gelos esse compositos ex subtilibus corpusculis elementaribus. Vid. R. Menasse Ben. Israel de Creatione Probl. XXII. R Isaac. Sangeri *Orat. IV. Cosr. Sect. III. p. 212.* R. Muscat. *ad or. V. S. 16. c. 6.* Hisce junge Codicem Talmudicum *Massechet Chagiga c. 2. p. 17.* Confer Hackspan. *Syllog. p. 237. ad 240.*

VII. MOHAMMÆDANI qvorum alii *ex igne* Dæmones creatos, alii cum AlDamirio *in Histor. Animal.* qvi ap. Pocok: *in notis ad portam p. 286.* ita ait: *Genii sunt corpora aërea, qvæ varias induere formas pro lubitu possunt, ratione, intellectu & ardua qvælibet præstandi potentiâ præditi &c. ex aëre* autumant.

Nec est (1.) qvòd adversarii nobis opponant autoritatem Patrum, utpote (α) B. Augustini, qvi *libro de Spiritu & lit.* in genere scribit: *Creatura omnis corporea est:* & alibi Diabolis corpora aërea expresè tribuit, ut *lib. XV de C. D. c. 2. l. 2. de Genes. ad liter. c. 16. & l. 3. c. 8.* (β) D. Basilii: Sic enim Psellus *l. c. p. 30.* scribit: *Qvùm & divinus ille Basilius rerum, qvæ sub aspectum non cadunt, & nobis incognitæ sunt, inspector non Dæmonibus solis, at intemeratis etiam Angelis inesse corpora contendit.* (γ) Lactantii, Cassiani, Damascenι & aliorum, qvos vide apud Vazqvez. *q. 50. c. 2. d. 178.* Nam Patres vocabulô σώματος usi sunt in significatione latiori, pro *substantiâ verè subsistente.* Σῶμα n. Græcis sæpe personam significat ut *Gen.* XXXIV. & XXXVI. *Tob. X. 10.* Distingvendum igitur inter *genus loqvendi* ἀκροαματικὸν & ἐξωτερικόν. Deinde Patres sæpè ex aliorum locuti sunt sententiâ, qvod de Augustino certum, qvi etiam *lib. 8. de Trin. c. 16.* δαίμονας definivit *genere animantia, animô passiva, mente rationalia, corpore aërea, tempore æterna*: verùm non ex suâ, sed Apuleji Madaurensis & Porphyrii opinione. Sed qvia vidit, hanc hypothesin non concedi ab omnibus, eam, meliora edoctus, improbavit *l. 1. de anima & ejus orig. c. 5. l. 2. c. 5. l. 4. c. 12. & seq.* (δ.) Patres non locuti fuerunt *absolutè* sed *respectivè* ἐν συγκρίσει πρὸς Θεόν. Sic Damascenus *l. 2. c. 3.* statuit, *Angelos incorporeos esse* πρὸς ἡμᾶς, *corporeos tamen respectu Dei.* Deniq; (ε.) Esto. Non Patres sed omnium Patrem audiamus.

Nec est (2) qvòd Psellus *l. c. p. 30.* provocat ad autoritatem Ba-

lii, qvi in confirmationem dictorum suorum adduxerit dictum Davidis *Ps. CIV. 4. qui facit Angelos Spiritus & ministros flammeos.* Ex qvô locô Psellus ita colligit: τοῖς λειτουργοῖς καὶ ἀποστελλομένοις πνεύμασιν ὡς ὁ θεοσπέσιος ἀποφαίνεται παῦλος, δεῖ σώματός τινος ὡς κινήσονται καὶ στήξονται καὶ φανήσονται γε γὰρ ἄλλως ταῦτα ἐνὸν ἀλλὰ διὰ σώματός τινος γίνεται τελεῖται. h. e. versore Gaulmino: *Ministris & in suam ablegatis provinciam spiritibus, ut D. Paulus asserit, corpore qvopiam opus est, ut moveantur & qviescant, adeò appareant. Hæc n. fieri non aliô modô possunt: at cujus corporis interventu hæc fiunt?* Hæc Psellus. Cui suffragatur Bernhardus *Serm. 5. super Cantic.* Sed qvid de Patrum autoritate sentiendum modò vidimus. Qvod locum Davidis attinet, ille nostram sententiam non evertit, qvia non seqvitur; ubi רוח legitur, ibi substantia corporea necessariò intelligitur. Vide Interpret. passim & conf. *Ebr I. 7.* Præterea licet corpora ab Angelis assumta non vivificentur & informentur ab animâ, virtute tamen singulari Angelorum ita afficiuntur, ut apta sint, per qvæ loqvela, tactus, motus & similia opera ψυχικῶς exerceantur. Vid B. Brochman, *loc. de Angel. bon. & malis cap. II. qvæst. 2. p. m. 98.* Gerhard. *Tract. de Creat. & Angel. Sect. XIX. §. 79.* Balduin. *in I. Cor. XIII. 1. p. 450.*

Nec obstat (3) qvòd Angeli mali *hominibus formâ humani corporis induti sæpe apparuerint, & adhuc appareant, teste experientiâ.* Hæc enim *non sunt corpora propriè sic dicta, sed corpora ascititia*, qvæ deponere possunt pro lubitu, ideoq; ea nec formant, nec vivificant, sicuti anima corpus nostrum. Hisce enim uniuntur ad tempus *non essentialiter*, ut aliàs forma physica suæ materiæ, per modum actûs informantis ad constituendum corpus naturale tanqvam ens per se, nec *personaliter*, in hypostaticam unionem; sed *parachoristicè, assistentialiter & accidentaliter per temporariam videlicet inhabitationẽ*, uti motor mobili per nudam assistentiam aut inexistentiam; donec id, qvod volebant, præstiterint in ipsis. Vid Vazqvez *q. 51. a. 2. d. 184. c. 1.* Ut non sit necesse, ad hoc eô facilius intelligendum, aliqvalem Angelis, qvæ humanæ imprimis similis est, tribuere corporeitatem, qvò inclinare videtur Episcop. *l. c.* *Aptat igitur Diabolus sibi illud corpus,*

ut

ut vestem, ceu loqvitur Augustinus. Ità Diabolus apparebat in formâ Prophetæ Samuelis *I. Sam. XXIIX. 14.* qvi tamen non *verus*, sed *personatus* fuit Samuel, qvod multis probatum dat B. Danhauer. *Hodos. Christ. Phæn. IV. p. 413. 414.* D. Augustinus spectrum illud *imaginem Samuelis mortui appellat lib. 2. de Doctr. Christ. c. 23. & lib. 2. de Mirabil. Sacr. Script. c. II.* & non verum Samuelem resuscitatum fuisse, sed Diabolum, qvi se transformat in Angelum lucis, in imagine Samuelis apparuisse, multis rationibus docet.

Nec obstat (4) qvòd vox *Spiritus in Scripturâ accipiatur pro corpore subtili, nempe de ventis, sive de halitu.* Nam qvamvis vox Spiritûs etiam de corporibus subtilibus v.g. ventis usurpetur, tamen *de substantiâ intelligente absolutè & simpliciter acceptâ, semper denotat substantiam immaterialem & incorpoream.* Materia igitur propriè talis, qvæcunqve tandem fingatur etiam *subtilissima*, qvam nonnulli *intelligibilem, insensibilem* vocant, Angelis non competit. Nam implicat Spiritum esse materiatum, prout is immediatè corpori opponitur, sicuti contradictionem implicat in contrarium, corpus carere materiâ.

Nec est, qvòd (5) qvis objiciat nobis *statum DEI proprium*: Nam solus Deus est ἄϋλος: solus enim Deus κατ' ἐξοχὴν, *eminenter & independenter* est ἄϋλος: Angeli verò etiam κατὰ φύσιν πνευματικὴν communiter & *dependenter* ἄϋλοι esse dicuntur, qvia verè spiritus.

Nec valet (6) objectio Bucani *Loco 6. q. 3. Angeli non prorsus & verè immateriati.* Falsò enim supponit: id qvod ex potentiâ & actu, compositione metaphysicâ constat. s. qvod non est actus purus, statim materiatum esse. Vide eund. l. c. fol. 61.

Nec obstat (7) locus *Gen. VI. 2.* Ubi *Filii DEI dicuntur vidisse filias hominum, qvod essent pulcræ*, & uxores duxisse, qvas voluerunt. Per filios autem DEI intelligunt *Angelos*, qvi cùm ipsorum opinione, filias hominum uxores duxerint, colligunt inde, eos corporeos esse. Sed (1) negamus, qvòd hôc in locô per filios DEI intelligantur Angeli, cùm homines ibi intelligi nimis clarum sit. Sciendum ergo vocem אלהים in Scripturis non *semper DEUM*, sed interdum

etiam *Magnates, potentes, judices denotare.* Atqve in hôc posteriori significatu hîc accipitur, ut בני אלהים *filii* DEI idem sint ac filii Magnatum, potentum. Vid. Vazqvez *q. 50. a. 1. c. 5. d. 179.* Dii autem pluraliter juxta phrasin Ebræam dicuntur nobiles, potentes, judices in populô. Vide omninò *Exod. XXI. 6. XXII. 8. 9. 20. 28. Ps. LXXXII. 6.* Ideò Symmachus, *filios potentum*, vertit. Hi enim pro lubitu pulcriores de plebe puellas rapuerunt, sibiqve uxores fecerunt invitis sæpè parentibus: Id qvod oppositio filiorum DEI & hominum, id est Magnatum & plebejorum ostendit. Conf. Sixt. Senens. *B. S. L. V. annot. LXXII. seq. 2.* Angeli boni qvidem *Job XXXVIII 7.* nunqvam autem mali בני אלהים seu *filii DEI* in Scripturis dicuntur.

Nec obstat (8) *qvòd Angeli tùm boni, tùm mali pingantur à pictoribus.* Nam etiam Deus pingitur. Distingvendum hîc inter ipsam Dei essentiam sive οὐσίαν: & DEI revelationem, sive θεοφάνειαν: vid. Rivet, in Genes. p. 205, Gerh. Loc II. de Nat. Dei & Attrib. divin. c. VIII. Sect. 1. §. 121. p. 271. Weller. in c. I. ad Rom. v. 23 p 81. Ita hic distingvendum inter Angelorum *essentiam* sive οὐσίαν, & ἀγγελοφάνειαν: Non enim Angeli ideo sunt corporei, qvia pingi possunt, uti volebat olim Tharasius in Synodo VII. Nicenâ; sed qvia in corporeâ formâ apparuerunt. Hinc Hieronymus *in Cap. VI. Es. Angeli*, inqvit, *alas habere dicuntur propter velocitatem, & celerem in cuncta discursum.*

TH. XVI.

§. 25. Dæmones autem non tantùm simpliciter dicimus Spiritus, sed etiam cum additô MALO Sappellamus, tùm *ad differentiam bonorum Spirituum*, qvi originem suam servarunt. *Jud. v. 6.* & in bonô ita sunt confirmati, ut jam labi non possint, tum *ad denotandam ipsorum qualitatem pravam*, qvam liberâ voluntatis culpâ sibi attraxerunt. Dicuntur igitur mali non *ortu*, sed *lapsu*, non *entitate*, sed *qvalitate*. Malitia hæc non est ipsa Angelorum essentia, sed hæret tantùm in essentiâ Spiritus Angelici, qvæ prævaricatione non fuit totaliter deperdita, nec substantialiter immutata, sed accidentaliter depravata. Qvicqvid enim Dæmones *secundum esse substantia-*

le

le sunt, id *bonum est*: qvod autem tales existant *secundum esse accidentale*, id non â DEO, sed ab ipsis Dæmonibus est. Qvo sensu dicuntur מלאכי רעים *Angeli mali*, *Psal.* LXXIIX. 49. ubi per Angelos malorum h. l. non intelligitur Moses & Aaron, tanqvam præcones malorum, ut vult Piscator ad h. l. *p.* 444. *Spiritus perversitatum Esai.* XIX. v. 14. πνεύματα πονηρὰ *Act.* XIX. 12. 13. πνευματικὰ τῆς πονηρίας, qvi Spiritus sunt in excellenti gradu neqvissimi *Eph. VI.* 12. ubi Beza & Musculus per errorem πνευματικὰ pro πνεύματα scriptum suspicantur, atqꝫ ita legisse Syrum interpretem. *Sed abstractum positum est pro concretô, ad Spiritualem essentiam designandum. Spiritus impuri & immundi Zach.* XIII. 2. *Luc.* XI 24. *Spiritus mendacii*, I. *Reg.* XXII. 22. & κατ' ἐξοχὴν Synecdochicam πονηρὸς malus, qvia Diabolus est πάσης τῆς πονηρίας δοχεῖον *Matth.* XIII. 19. tùm ad refellendam illorum opinionem, qvi differentiam qværunt *inter Dæmones, Satanam & Diabolos. Satanam dicunt, quando corpora affliguntur.* sicuti in Jobô nihil fuit sani à capite usqve ad calcem *Job.* II. 7. & mulier illa, qvæ decem & octo annis erat contracta, ne se erigere posset *Luc.* XIII. 11. *Dæmones aputant esse, qvando mentes perturbant.* Qvemadmodum duorum Dæmoniacorum mentes adeò occupârunt, ut sibi ipsimet non constarent, qvi tamen postea liberati, qvid secum sit actum *Matth.* IIX. 28. non ignorant Conf. *Marc.* V. 15. *Luc.* IIX. 35. Itaqve etiam *Hieronymus* existimat, *Dæmones non ita malos esse tanqvam Diabolos, utpote qvi Christum adorent, & multum deprecentur Marc. V.* 10. Sed qvod cum veniâ tanti Doctoris dixerim, semel tantùm vox δαιμόνια Dii in bonam partem capi videtur (qvanqvam non ex mente Spiritus S.) *Actor.* XVII. 18. Hæc igitur differentia locum qvidem habere potest in profanis Scriptoribus, ubi Dæmones interdum pro Geniis sive bonis sive malis accipiuntur. Nam Ethnici statuerunt, singulis hominibus certos genios esse attributos, unum bonum, alterum malum. Hinc Plato universi moderatorem vocat μέγιστον δαίμονα, Homerus reliqvos Deos vocat Dæmonas, Hesiodus Heroas deificatos. Sed in S. Scriptura Satanas, Dæmones & Dæmonia semper pro Diabolis & Spiritibus malis accipiuntur. Qvô sensu etiam in nostra dissertatione

ne Dæmones & malos Spiritus pro Synonymis accipimus, & titulum de Dæmonibus, vel Angelis malis fecimus.

Nec obstat (1.) qvòd etiam *Angeli mali in Sacris literis Spiritus Domini* appellentur, I. *Sam.* XVI. 23, *Cap.* XIX. 9. Nam Spiritus Domini sunt tàm boni qvàm mali Spiritus (α) propter *creationem* (β) propter *dominium* (γ) propter *potestatem.* Specialiter v. boni dicuntur Angeli Domini 1. propter *confirmationem in bono* 2. propter *voluntatem bonam*, qvâ Deo inserviunt, & voluntatem ejus obsequuntur. Hinc Gregorius *l. 8. Moral. c. 6.* postqvam sibi objecisset, qvomodo, si malus est, Spiritus Domini dicitur, respondet: *Domini est propter potestatem, malus est propter ejus voluntatem.* Et D. Augustin. *l. 2. ad Simplician. q. 1.* locum I. *Sam.* XIX. 9. ita exponit: *Spiritus malus dicitur Spiritus Domini, qvia occultô Domini judiciô Saulem vexabat.* Hæc de Spiritu Domini. Aliter de Angelô Domini comparatum est; & putat Abulensis, *in Paral. 21. q. 70. ubicunqve Angelus Domini nominetur in Scriptura, ibi intelligi Sanctum Angelum.*

Nec obstat (2.) qvod Spiritus hic malus ab *Es. C.* XLIX. 4. dicatur צדיק *justus.* Ideo n. hunc titulum obtinet Diabolus, qvia *actio ipsius adversùs genus humanum justô Dei decretô nititur*, uti h. l. exponit B. Lyserus *Harm. Evan. c.* LIX *p. 607. Justa est captivitas infidelium sub potestate Satanæ* inqvit D. Calov. *ad h. l.* Nec enim opus est, ut cum Maldonatô locum corruptum, & מעריץ pro מצריק legendum esse fingam'. Breviter: Diabol' dicitur justus non *subjectivè*, sed *executivè.*

TH. XVII.

§. 26. Præterea Angelos malos in descriptione suprà habitâ Spiritus FINITOS appellamus, ad differentiam Spiritus infiniti. & increati, qvi solus est Deus. Angeli enim sunt Spiritus creati, E. & finiti. Nam Spiritus creatus infinitus esse non potest, qvia creari est dependere. Vox autem dependentiæ finitudinem essendi, existendi, operandi habet Dicuntur autem Dæmones Spiritus finiti non ideo, qvasi aut cœlô aut aëre, aut aliô qvôdam externô corpore terminentur & definiantur: sunt n. incorporei, ut supra demonstratum, incorporeum a. locô non circumscribitur; sed qvòd *suæ ipsius essentiæ finitudine, terminisq; adeò internis non externis sunt definiti.*

Qvæ

Qvæ thesis notanda est *contra qvosdam Calvinianos, & cumprimis Timplerum, qvi l. 4. Metaphys. c. 9. q. 6.* existimat, *Dæmones locô circumscribi, qvia sunt Spiritus finiti.* A qvibus tamen hâc in parte rectè discedunt Keckermannus *l. 1. Syst. Theol. c. VII. p. 157.* Zanchius *Part. 3. de oper. sex dier. Anima*, inqviens, *non est in corpore, tanqvam in locô, cum à loco circumscribi neqveat.*

TH. XVIII.

§. 27. Deinde Angelos malos dicimus Spiritus COMPLETOS, *ad differentiam animarum humanarum*, qvæ qvidem Spiritus sunt, sed non Physicè completi, qvia naturaliter ad corpus, ut cum illô unum per se compleant, sunt ordinati. Angelus autem non est pars essentialis, qvæ cum materiâ constituat compositum, sed est Spiritus in se, & per se completus, qvò respiciens Augustinus *Cap. 18. Enchir.* ad Laurentium, Angelos *personas* vocat.

TH. XIX.

§. 28. Dum in definitione malos Angelos INTELLIGENTES dicimus, ipsis intellectum tribuimus. Nam Diabolus *intellectum, voluntatem & vires retinuit, sed vitiata*, ut patet *Eph. VII. 11.* adeoq; status ejus ratione essentiæ & facultatum mansit, sed sublatis dotibus. Qvamvis n. non paucas nec exiguas adhuc habeat reliqvias, tamen longè pluribus ac majoribus infernalium affectuum flammis est obnoxius, ut non solum multa stultissima, sed etiam sibi suoqve regno perniciosissima incipiat, & urgeat. Qvid ipsi morte Christi erat pernicios*i*us? imprudenter tamen hoc agebat, ut Christus è mediô tolleretur. Habet igitur Diabolus adhuc intellectum, sed tamen depravatum. Hinc Augustin. *l. 9. d. C. D. c. XX.* ait: *Scientia Dæmonum haud scientia est, qvæ ædificare possit, sed scientia, qvæ inflat, nam sine charitate est, qvæ sola ædificat. Restat voluntas sed tantùm ad malum tendens, restat potestas, sed aliis noxia. Unde operationes non nisi pessimæ sequuntur, qvarum pœna erit æterna.* Sed de hâc potentiâ in thesi seqvente prolixius disseremus.

TH. XX.

§. 29. Sunt etiam Dæmones Spiritus VIRTUTE POTENTES, ut in definitione appellantur. *Si enim Spiritus naturâ sunt po-*

tentes, utique etiam mali Spiritus erunt potentes. Quemadmodum igitur Scriptura Angelis bonis tribuit potentiam, dum eos vocat Spiritus, fortes robore. *Ps. CIII. 20.* principatus, potestates, virtutes & dominationes *Eph. I. 21.* Ita quoque Sacra Scriptura malis Spiritibus tribuit potentiam, dum eos vocat Principatus, Potestates κοσμοκράτορας *Eph. VI. 12.* Princeps Idumæus Diaboli potentiam mysticè describit sub figurâ Leviathanis, maximæ beluæ marinæ *Job. XL. 20.* Christus Diabolum appellat ἄρχοντα τοῦ κόσμου τούτου *Joh. XII. 3. XIV. 30.* & D. Paulus eum vocat θεὸν τοῦ αἰῶνος τούτου *II. Cor. IV. 4.* Paulo autem constitutum fuit, veram & per se causam excœcationis à doctrinâ suâ, à ministeriô suô, imò ab ipsô Deo, cujus se ministrum prædicat, removere. Quod cum fecisset, jam veram & per se causam indicare debuit: eam vero potentiam Diaboli esse ait, quem Deum hujus seculi nominat. Audit autem Diabolus Deus, sed ὁμωνύμως *nomine*, non *numine, ambitione & arrogantiâ*, non *veritate.* Audit Deus hujus seculi (1) non quòd seculum condiderit, *ut Marcionitæ & Manichæi delirabant, sed quòd in hôc seculô & mundô potestatem habeat tentandi, & pertrahendi homines ad peccatum*, ut Basilius hunc locum rectè exponit *Hom. quod Deus non sit autor mali.* Quod notandum contra *Chrysostomum & Theophylactum*, qui in *Comment. h. l.* negant, *per Deum hujus seculi intelligendum esse Diabolum, sed hunc locum Apostoli, de vero Deo justô judiciô excœcante corda infidelium*, exponunt. Quam expositionem ex Pontificiis amplectuntur Bellarminus *l. 3. de V. D. c. 2.* & Petrus Stevartius *in Comment. super hunc loc. p. 128.*

TH. XXI.

§. 30. Quùm autem Philosophus *l. 9. Metaphys. ut & cap. penult. lib. de interpretatione*, potentiam distingvat in *activam* & *passivam*, ideo paucis videbimus, qvomodo malis Spiritibus tùm activa tùm passiva potentia possit attribui.

TH. XXII.

§. 31. Qvia potentia activa *est principium & vis agendi, qvâ ad agendum aliqvid idonei & expediti sumus*, hanc potentiam meritò Angelis malis tribuimus, dum ipsos appellamus Spiritus virtute poten-

potentes. Nam per peccatum Diabolus magnas vires in genus humanum acqviſivit, ſuarum tenebrarum poteſtati omnes gentes ſubjecit, & in eâ per multa ſecula detinuit ita, ut tyrannicè furat & omnis generis calamitatum auctor exiſtat, ſeditiones & bella excitet, *Gog & Magog congreget ad prælium Apoc.* XX. *8.* ignita meteora in aere contrahat, domos inflammet, ſævas tempeſtates faciat in terrâ mariqve, peſte & aliis morbis corpora humana pecorumqve affligat *Job. I.* 14 & qvod horrendum dictu homines nonnunqvam corporaliter obſideat, uti *Matth. XII. 22. Marc* IX *18. Luc.* IIX. 27. videre eſt. Lubet hîc adſcribere verba Philippi Melanchthonis de qvo refert B. Polycarpus Lyſerus, qvod in ea doctrina, qvam B. Lutherus maſculè propugnavit placidè obdormiverit: Sic autem ille in aureo de anima libello eleganter diſſerit: *Sicut ſpiritibus in hominibus piis miſcetur ipſe ſpiritus divinus, & efficit magis ſulgentes divina luce, ut agnitio Dei ſit illuſtrior, & aſſenſus firmior, & motus ſint ardentiores erga Deum. Ita econtra ubi Diaboli occupant corda ſuo afflatu turbant ſpiritus in corde, & cerebro, impediunt judicia, & manifeſtos furores efficiunt, & impellunt corda & alia membra ad crudeliſſimos motus. Ut Medéa interſicit natos, Judas ſibi ipſi conſciſcit mortem.* Qvod notandum contra eos, *qvi Diaboli poteſtatem explodunt, vel floccipendunt,* cum tamen Diabolus non ſit larva, nec pumilio, ſed horrendus Behemoth, cujus fortitudo in lumbis ejus, & virtus illius in umbilicô ventris ejus, cujus oſſa velut fortitudines æris, & cartilago illius qvaſi baculi ferrei *Hiob. XL. 13. ubi* בהמות *pluralis proſingulari ponitur, ad denotandam magnitudinem & excellentiam.* Hôc nomine v. propriè Elephantem denotari interpretes ex textu oſtendunt. Nobis hîc ſufficit ſub ejus figurâ inſigne Sathanæ robur depingi. Magna igitur eſt illorum potentia imprimis *συγκριλικῶς* reſpectu reliqvarum creaturarum. Et hæc eſt malorum Spirituum MAGNA POTENTIA.

TH. XXIII.

§. 32. Hæc verò potentia per Chriſtum fracta, adeòqve certis limitibus circumſcripta atqve reſtricta eſt. Cum enim ininjuſtè in Chriſtum injecit, omnem ſuam poteſtatem amiſit, ut loqvitur

Hilarius in Ps. 68. Sed & absqve hoc, Spiritus finiti potentia non nisi finita est, qvod ulterius ostendimus.

1. SCRIPTURÆ SACRÆ TESTIMONIIS. Nam *Luc.* XXII. 31. Satanas à Deo postulavit, sibi permitti, ut tentationibus suis Apostolos instar tritici in cribrô vel vannô agitaret, ubi Lucas utitur verbô ἐξητήσατο. Ἐξαιτεῖν autem & ἐξαιτεῖσθαι qvod in sacrô codice alibi non occurrit, varias obtinet significationes, Nam (α) notat exposcere, ad pœnam dedendum petere vid. Plut. *de Orac. defectu*, (β) exposcere ad qvæstionem sive torturam, apud *Demosth.* περὶς Ἄφοβον. (γ) exposcere ad duellũ, vel singulare certamen, apud Budæum *in Lexic. p. 45.* Si igitur Satanas postulavit sibi Apostolos dedi tanqvam perduelles ad pœnam trahendos, & qvidem à DEO tanqvam superiore, *utiq; sine Dei permissione Apostolos ad pœnam trahere aut certamine singulari cum ipsis congredi, & tentationibus veluti fidiculis ipsos divexare haud potuit.* Ita *Exod.* IIX. 19. Diabolus ne pediculos qvidem in speciem fingere potuit. Et hodieq; Deus Satanam frenô coërcet, ne nos pro lubitu damnô afficiat, qvod intercessioni Christi *Luc.* XXII. 32. *Ebr.* VII. 25. adscribendum.

2. EXEMPLIS tùm *sacris*, tùm *profanis*. E codice sacrô producimus historiam Jobi, in cujus pecora liberos & proprium corpus grassari non potuit Diabolus, *nisi ex concessione divinâ*, qvod ex *Job. c. I. & II.* constat. Itâ *Matth.* IIX. *Marc.* V. *Luc.* IIX. Spiritus immundi ne qvidem in porcos potestatem habuerunt, sine Christi permissione. Rogaverunt enim Christum dicentes: *si ejicis nos, permitte nobis, ut emigremus in gregem porcorum.* Atqve sic ipsi agnoscunt & fatentur, se non tantum posse, qvantum velint, sed tantum, qvantum justô DEI judiciô ipsis concedatur. Qvamprimum autem Christus vel unicum verbulum ὑπάγετε protulit, protinus universa Diabolorum cohors ex miseris hominibus egrediens, ingreditur in gregem porcorum, eumqve præcipitem agit in mare, ut omnes ad unum in aqvis perirent. Fuerunt autem *porci bis mille*, uti Marcus numerum exprimit. Ex qvibus omnibus appareret, Dæmonum potentiam esse ligatam & certis limitibus circumscriptam. Pluribus exemplis recensendis sacris supersedeo.

Ex

Ex *profanis* hiſtoriis multa poſſemus in medium producere, ſed tempori & chartæ parcentes, hâc vice in gratiam Patronorum cœlibatus vel unicum ſaltem adjiciemus, qvod Martinus Delrio ſcriptor Pontificius *Diſqviſit. Magic. l. 3. part. 1. q. 7. ſect. 2. p. 431.* §. qvando, ſuâ ætate contigiſſe his verbis ipſe commemorat: *Exemplum dabo, qvod, etſi recenti ferè memoriâ multis notiſſimum, ſine horrore tamen neqvit memorari. Loci nomen taceo. In Flandriæ Comitatû Prioratus eſt. Tres ibi nominetenus Monachi degebant, regaleones & concubinarii, ſua cuiq; erat, nec pudor ullus aderat ſimul belluari & libidinari. Qvâdam die in ſeram noctem compotatione protractâ, unus, qvi minùs ſceleroſus, Sat, ait, Bacho Ventriq; datum, Deo gratias ſaltem. Ego verò ſubinfert alius procacior, Cacodæmoni gratias ago, & agendas cenſeo, cui operamur. Et cum riſu mensâ relictâ ruitur in cubilia, ſinguli cum ſcortô. Vix decubuerant, ecce tibi in triclinium vi januâ reſeratâ Dæmon magni, atri & trucis viri ſpecie, habitu venatoriô, & cum eo coci duo parvuli obambulat, & lectos circumſpicit torvô vultu; deinde horrendâ voce: ubi qvi mihi gratias egit, adſum; referam. Lecto abſtrahit pavitantem, & fermè præ metu animam efflantem traditum Cocis jubet infigi veru, & luculentô igne probè aſſari. Parent promptè. Aſſatur infelix. Emoritur planiſſimè, cæteri verò præ formidine. Aſſi corporis nitore cubiculum impletur, demum venator ad ſuperſtites ſub ſtragulis trepidantes vix vivos:* Digni vos etiam, ait, pari ſupplicio, NEC DEEST VOLUNTAS MIHI, VETOR (NB) VI MAJORE. *Invitus abeo & monco, reſipiſcite, aut manent terribiliora. Diſparent larvæ: nec tamen his alius animus redit, vel vox, niſi clarâ jam luce. Ubi reſurrexêre, collegam inveniunt mortuum, & ne viſum inane putes, planè aſſum. Haud ſcio, an ab aliqvot ſeculis qvicqvam ad exemplum utilius contigerit. Scio locum & ordinem, ſed utrumq; ſilentiô involvo.* Hæc Delrio locô citatô. Tremenda alia nonnulla exempla de poteſtate Dæmonum in peccatores à Deo conceſſa, narrat Alexander ab Alexandro *Geneal. Dier. l. 4. c. 19.* qvæ, ſi placent, lector apud illum videre poterit. Nos progredimur & ſententiam noſtram, qvòd Diaboli poteſtas ſit limitata, probamus.

3. PATRUM SUFFRAGIIS. Latè & eleganter hâc de re diſ-

dissérunt orthodoxi Patres. *Non habent Dæmones potestatem nec virtutem adversùs aliqvem, nisi ὁ ικονομικῶς* DISPENSATIVE *eis à DEO concedatur* inqvit Damascenus *l. 2. O. F. c. 4. Nihil Satanæ in servos DEI vivi licebit, nisi PERMISERIT Dominus, ut aut ipsum destruat per fidem Electorum, in tentatione Victricem, aut homines ejus fuisse traducat, qvi defecerint ad illum. Habes Exemplum Jobi, cui Diabolus nullam potuit incutere tentationem, nisi à DEO accepisset potestatem &c. Sic & in Apostolos facultatem tentationis postulavit, non habens eam, nisi ex permissu &c. Nec in porcorum greges Diaboli legio habet potestatem, nisi eam à DEO impetrâsset, tantùm abest ut in oves DEI habeat. Possum dicere porcorum setas tunc fuisse apud DEUM numeratas, nedum capillos Sanctorum.* Tertullianus *lib. de fugâ in persecutione cap. 2. A se ipsô nocendi Diabolus voluntatem habet, sed à Deô potestatem. Qvod enim ipse facere iniq3 appetit, Deus fieri non nisi justè permittit. Facit, qvod potest permittente DEO, qvod potest non facit prohibente DEO.* Gregorius *l. 2. Moral. c. 6. Absq3 omnipotentis DEI concessione nullam habet potestatem contra hominem malignus Spiritus, qvi etiam in porcos transire non potuit, nisi permissus.* Idem *in Dialog. Diabolus plerumq3 vult nocere, at non potest, qvia illius potestas est sub potestate. Nam si tantum nocere posset, qvantum vellet, aliqvis justorum non remaneret.* Augustinus *Ps. 61. T. 2. col. 629. Nihil adversarius contra nos potest, nisi Deus antè permiserit, ut omnis timor noster & devotio atq3 observatio ad Deum convertatur, qvùm in tentationibus nostris nihil malo liceat, nisi inde potestas tribuatur. Potestas vero adversùs nos dupliciter datur, vel ad pœnam, qvùm delinqvimus, vel ad gloriam, qvùm probamur.* Cyprianus *Serm. 6. de orat. Domin. p. 241. Edit. Basil. 1521.* Possem plura huc referre Patrum testimonia de Potentiâ Dæmonum œconomica, sed progredior, ne hæc mea dissertatio justo magis excrescat, & lectori tædium adferat.

TH. XXIV.

§. 33. Et ita hactenus vidimus Diabolorum *Existentiam, Essentiam, & activam Potentiam* : restat ut reliqva verba definitionis paucis examinemus, qvæ ita sonant: *Dæmones à DEO omnium creatore boni, justi & sancti fuerunt conditi,* (creatione videlicet immediatâ,

tâ, qvâ ſubſtantia ſit è nihilo ſimpliciter) *qvi tamen à veritate, in qvâ creati erant, liberâ voluntate deſciverunt & peccârunt, DEI hominumq; hoſtes facti acerrimi, atq; in judicium magni diei catenis caliginis ſervantur cruciandi igne æternô.* Qvibus verbis deſcribitur 1) Angelorum malorum ſtatus ANTE LAPSUM. 2) LAPSUS IPSE. & 3) STATUS POST LAPSUM.

TH. XXV.

§. 34. Status Angelorum malorum ANTE LAPSUM innuitur his verbis: *Dæmones à Deo omnium creatore boni, juſti & ſancti ſunt conditi.* Qvam theſin probamus dictô illô Moſaicô *Gen. I. 31. Vidit Deus omne, qvod fecerat, & ecce BONUM VALDE.* Ex qvô locô ita colligimus: Si omnia, qvæ Deus fecit, valdè bona fuerunt, utiqve & ipſe Satanas Spiritus bonus à DEO fuit creatus, qvam ſuam eſſentiam per lapſum non amiſit, ſed deteriorem reddidit, factus ex Angelo lucis Angelus tenebrarum, ut in ſeqventi theſi videbimus. Conf. *Joh. VIII. 44. Jud. v. 6.* Hinc Auguſtinus *de natura boni adverſus Manich. cap. 33. ex II. Pet. II. 4.* rectè colligit, *malos Angelos non à DEO conditos malos, ſed peccando factos eſſe malos.* Et Baſilius *Sermon: in aliqvot Scripturæ locos: Non Diabolus,* inqvit, *ſtatim creatus eſt Diabolus, ſed qvum Angelicam accepiſſet poteſtatem, in Dæmonis naturam converſus eſt, & factus iniqvus Dæmon.* Opponenda eſt hæc theſis.

1. MANICHÆIS teſte Euſebiô *l. 7. Hiſt. Eccl. ſ. c. 27.* & PRISCILLIANISTIS, *qvi Diabolos malos & à malô principiô ortos fingebant.* Cum qvibus conſentiunt Trinitarii & Ariani qvidam dicentes: *Angelum malum in inſtanti ſuæ creationis fuiſſe malum & nunqvam niſi malum, nec habuiſſe, unde ſtare poſſit.* Vid. *Schol. Doctr. Chriſt.* Pelargi *p. 28.*

2. TALMUDISTIS, *qvi negant, Angelos malos à Deo bonos, & juſtos eſſe conditos.* Fabulantur enim, Adamum ante Evam habuiſſe aliam uxorem ex limô terræ productam, cui nomen LILIS, cum eâqve vixiſſe 130. annis, & ex eâ genuiſſe Dæmones. De qva fabula videndus liber Ben Sira, ut Ebraicè ab ipſis Judæis editus eſt. Conf. Buxtorf. *Synag. Judaic. c. 4. p. 81. & 85.* R. Manaſſe Ben Iſrael *de Creatione*

tione & R. Salomon *in Ps. LXXXIX.* 33. R. Abraham Hispan. ap. Munster. in Schol. ad Matth. hebraic. c. 14.

3. SIMONIANIS, NICOLAITIS, GNOSTICIS, *qvi ab Angelis mundum conditum censent*, indeqve mundi δημιόργους *opifices* eos dixit Simon Magus, propterea̓ τόμα διαβόλου, *os Diaboli* à Damasceno nominatus. Ideò verò censebant *æternos Angelos*, qvòd Christus dicat puerorum Angelos *semper* videre DEI Patris faciem *Matth. XIIX. v. 10.* cùm tamen τὸ *semper* illô locô non notet *æternitatem*, sed servitii saltem *perpetuitatem*. Vident enim Dei faciem διὰ παντὸς, subintellige χρόνου per omne tempus, ex qvô sc. sunt conditi. Vid. Back. *Com. in* Ps. XXXIV. *p.* 140.

Nec 1. obstat nostræ sententiæ dictum Salvatoris *Joh. IIX. 44. Diabolus est homicida ab initiô.* Non enim dictum est, qvòd ἐν ἀρχῇ in initiô homicidia fuerit, sed ἀπ' ἀρχῆς ab initiô *peccati vel lapsus hominis*, ut Augustinus h. l. explicat *tract. 42. in cap. 8. Evangel. Johan. fol. 190.* Neqve enim prius homicida esse potuit, qvàm homo creatus esset, qvem occideret Conf. *Isagog. Loc. Theol. Disp.* XIV. Gerh. *p. 588. seq.*

Nec est 2. qvòd adversarii adducant locum *I. Joh. II. 8.* & ex eô ita colligant

Qvicunqve ab initiô peccat, is in peccatô productus est, & creatus malus.

Diabolus ab initiô peccat.

E. In peccatô productus est & creatus malus.

Nam ut respondeam verbis Cyrilli *l. 6. in Evang. Joh. c. 8. fol. 395.* Non propterea dictum Diabolum ab initiô peccare, qvia formatus fuerit à Deo malus, sed qvia ab ipsius *peccati exordio* (qvod ab eo cœpit originem; nam ante ipsius lapsum non erat peccatum) *prævaricatus est DEI legem*, prolapsusqve à nativâ bonitate suâ, & decidit in pravitatem, à qvâ nunqvam destitit, sed in eâ continuè perstat, semper mala malis accumulans, & prava suggerens. *Ab initiô itaq; ordinis respectu peccatorum, ad initium ipsius naturæ N. V. C.* Adducit Cyrillus *l. c.* alia adversariorum argumenta ex *Psal. CIV. 26. Job.* XL. *14.* & dissolvit ea distingvendo inter Diaboli *substantiam & culpam*, qvam

qvam ſponte ſua incurrit, qvo lectorem brevitatis ſtudiô remittimus. Vidimus itaqve hactenus illorum *creationem*, nunc ſeqvitur *Tempus*, qvô cœperint eſſe.

TH. XXVI.

§ 35. TEMPUS Angelorum qvô cœperunt eſſe, dupliciter ſumitur, vel *negativè*, vel *poſitivè*. *Negativè* qvòd Angeli non extiterint ab æternô, qvamvis nonnulli Patres, Angelos ante mundum hunc aſpectabilem creatos eſſe, exiſtiment. Interim de fide certum eſt, eos ante creationem hujus univerſi non extitiſſe, *qvia eſſe ab æternô, & eſſe ante conditum mundum æqvipollentia ſunt*, ut patet ex *Pſ.* XC. 2. *Prov.* VIII. 22. *Eſai* XLIII. 13. *Matth.* XXV 34. *Joh.* I 1. C. XVII. 5. *Eph.* I. 4. Conſ. B Danhau. *Hodoſ. Phæn.* III. *p.* 280. Gerh. *Diſp. Iſagog Diſp* 12. *p.* 507. Brochmand. *Syſtem. a.* 8. *c.* 2. 3. *p.* 5. Jacob. Rauppium *Biblioth. Port. c.* 3. *p.* 141. Winckelman. *Gieſſ. Diſp.* I. *Tom.* I. *theſ.* 9. 10. *p* 5. Wendelin. *Syſtem. Maj. Chriſt. Theol. l.* 1. *c.* 5. *p.* 370. Becan. *Theol. Schol. Tr.* 3. *q.* 1. *Concl.* 2. *a.* 1. *p.* 100. Thom. *q.* 61. *a.* 2. Hildeb. *in Inſtitut. Sacr. Diſp* 9 *theſ.* 5. R. Manaſſe Ben. Iſrael *Problem.* 4. *de creatione.* qvi error etiam cum aliis A. 1226. Dominicâ Lætare Lutetiæ publicè damnatus fuit, *referent Centuriat. Cent.* 13. *f.* 575. 2. *Poſitivè* qvòd eſſe cœperint eô tempore, qvô res omnes aliæ ſunt productæ. Qvamvis de die creationis ἑξαημέρῳ nondum conveniant inter ſe Autores. Aliis *primus* placet: imo nonnulli *Lucis* appellatione ipſos intellexerunt Angelos, qvæ ſententia placuit Auguſtino *lib.* 12, *de Geneſ Imperf. c.* 5. *p.* 186. & Rabbinis nonuullis, nominatim v. R. Levi Ben Gerſon. R. Menaſſeh Ben Iſrael *de creatione Probl.* 25. 26. Aliis *ſecundus* ut B. Joh. Schmidt. *in Diſput de Angelis in genere Argent.* habit. A. 1629. & Rabbinis nonnullis in ſpecie verò R Eliezer: dicentis וביום השני נכראו השבלים: aliis *tertius*, aliis *qvartus* arridet. Nonnulli permittunt, ut in hâc re liberè unusqvisqve ſentiat qvod velit, ſive eos ante mundum hunc aſpectabilem eſſe conditos, ſive cum ipsô mundô extitiſſe dicat, modo ſpirituales ſubſtantias *Deo coæternas* non faciat: qvam ſententiam approbat Theodoretus *q.* 3. *in Geneſ* & eum ſecutus Sixtus Senenſ. *l.* 5 *B. S. annot.* 5. Nos verò falſam cenſemus ob hactenus diſputata. Lucem qvod

attinet, ex contextu historiæ Mosaicæ liqvidò constat, eam, qvæ primô die producta dicitur, fuisse corpoream, qvæ suô ortu & occasu diem noctemqve constituerit. Vide Vazqvez *q. 61. a. 3. c. 6. d. 224.* Qvanqvam autem singulis opinionibus suæ sint rationes, maximè tamen probabilis inter eas nobis *prima* videtur. Dico *probabile esse, Angelos primo die esse conditos.* Nam cum cœlum primô die fuerit productum, probabile est, cœli qvoqve incolas, Angelos videlicet, hôc ipsô die esse productos. Gonf Röber. *Colleg. Theol. Disp. 4. Sect. 3. θ 3. ἐκθ. 4.* Hunn. *in Prælect. in Genes. p. 41.* cui ὁμόψηφος est B. Gesner. *in Comment super h. l. p. 16.* Deinde, cùm creatus fuit homo, ex historiâ creationis patet, Angelos qvosdam jam tùm lapsos fuisse. Neqve tamen pro certô affirmari potest ob scripturarum silentium, qvod D. Fœrsterum, Chemnitium, Gerhard. *Disput. Isagog. XII. c. 4. q. 2. p. 507.* D. Brochmand. *Syst. Theol. p. 99. q. 3.* aliosqve coëgit, ut dicerent, *non liqvet.* Interim tamen rejicienda est *Achatii Episcopi & Gennadii opinio, qvi Angelos post creaturas omnes alias, adeoq; demum post mundum corporeum productos opinantur.* Sed hosce confutavit Augustinus II. *de C. D. c. 9. ex Job. XXXIIX. 7.* qvem vid. Huic adde B. Danhau. *Hodosoph. Christ. Phæn. 3. p. 280.* Huic opinioni valde conformis est Rabbinorum sententia, qvi referente Mercerô *in cap. III. Genes.* existimant, *sub vesperam diei sextæ, qvam vesperam Sabbathi appellant, eôdem illô tempore, aut sub illud, qvô formata est fœmina, creatos etiam simul fuisse malignos Spiritus & Dæmones, ac Satanam inde sumsisse occasionem tentandæ mulieris.* Sed iterum rejicitur ex eodem Jobi locô, qvi ante genus humanum creatos esse Diabolos manifestè testatur. Interea hanc thesin opponimus.

1. PATRIBUS, nominatim Origeni *Tom. 2. Hom. 1. in Genes.* Chrysostom. *Tom. 3. l. 1. de Providentia.* Nazianz. Basilio *Hom. I. in Hexaëm.* Damasceno *l. 2. de F. O.* Hilario & aliis, qvorum errorem suprà notavimus.

2. SIMONIANIS, NICOLAITIS, ARCHONTICIS & aliis, *qvi, Angelos ab æterno fuisse, somniarunt.*

3. GENEBRARDO, qvi de *Trin. l. 1. p. 69. dubitantis saltem speciem præ se tulit, Angeline cum orbe demum, an potius finitis ante secula productis fuerint.*

4. PHOTI-

4. PHOTINIANIS & ARMINIANIS, *Angelorum creationem ante Hexaemeron factam, putantibus.*

Nec obstat (1) dictum *Matth. XVIII.10.* supra citatum Angeli parvulorum in cœlis per omne tempus vident faciem Patris mei, qvi est in cœlis. Ex hôc enim locô probare satagunt æternitatem Angelorum illi, qvi Angelos Dei συναϊδίους statuunt. Nam si semper vident faciem Dei. E. qvoqve semper extiterunt. Verùm Adverbium *semper* hic non notat absolutam æternitatem, sed beatæ visionis jam inde à primô creationis sive originis vel certè confirmationis principiô continuationem notante B. Gerhar. *in Isagog. LL. Theol Disput. 12. c. 4. § 3.* cui junge Jac. Raup. *Biblioth. Portat. c. 3. p. 141.* B. Röber. Colleg. *Disp. 4. Sect. 2. th. 3.*

Nec (2) Angelorum æternitatem inferre videntur verba *Job.* XXXIIX 7. ubi eras cum fundarem terram, & me laudarent astra matutina & jubilarent omnes filii Dei, id est Angeli. (Videat qvomodo se defendat Drusius qvi *Cent. 1. Miscell. c. 12.* negat per בני אלהים intelligi *Angelos.* Verba ejus hæc sunt: Rectius fortasse omnes filii Dei, id est, omnes stellæ, ut idem dicat aliis verbis: præcedit enim cùm me laudarent astra matutina. Nam antiqvitas astra in Deorum numerô reponebat, qvod notum vel ex secundô Ciceronis de *Naturâ Deorum.*) Sed hic locus ne apice qvidem mentionem facit temporis, qvô Angeli *præcisè sint conditi.* Hoc tantùm dicitur à Jehova, frustrà fatigari in eo Jobum, ut adigat Deum ad reddendam factorum suorum rationem. Et ut Job hîc suam agnoscat stultitiam, variis ipsum onerat Deus interrogationibus, & inter alia petit, ut Jobus edisserat, ubinam fuerit, cum Deus terram fundaret, stellas conderet, filii Dei seu Angeli jubilarent.

Nec obstat (3) locus ad *Tit. c. 1. 2.* qvam sc beatam spem promisit Deus ante tempora secularia, ex qvô locô dubitationis suæ occasionem sumpsit Genebrardus l c. Si enim talis promissio facta est ante tempora secularia, alicui creaturæ fieri debuit. Nulla autem alia videtur fuisse, qvàm Angelus. E. fuit creatus *ante tempora secularia.* Respondet Vazqvez *q. 61. a. 3. c. 6. d. 224.* Verbum *promisit* non significare promissionem aliqvam verbo factam, sed *æterni-*

nam Dei prædestinationem: ita etiam h. l. explicat Chrysostomus, Anshelmus & Augustinus *12. de* C. *D. c. 16.* Ideò dicit Gvilielm. Estius *Comment. in c. 1. Epist. ad Tit. p. 861. in verbô promittendi esse Catachresin*: nam ab æternô propriè promitti nil potuit, qvando nullus erat cui promitteretur, d. qvia promittentes constituunt dare, qvod promittunt, hinc Apostolus abusus est, vocabulo promissionis *pro decretô seu Prædestinatione* Dei æternâ, ita ut sensus sit: Deum promisisse, id est *promittere decrevisse*, vel dare constituisse fidelibus suis vitam æternam: ita etiam hunc locum explicat B. Balduinus *Comment. in c. 1. Epist. ad Tit. q. 8. p. 1469.* Qvid verò per *tempora secularia* intelligatur, autores non inter se conveniunt. Qvidam enim per *tempora secularia* intelligunt *tempora antiqva*, ut in *Psal. LXXVII. 6. & Act XV. 7.* legitur, qvam sententiam defendit Thomas Aqvinas, & Joh. Piscator in *Analys. hujus textûs: ante tempora secularia* inqvit, id est, *ante multa secula*, videlicet ab origine mundi, qvalis nimirum est promissio illa facta primis parentibus, semen mulieris conteret caput serpentis. Verum qvia in textu Græcô non est πρὸ χρόνων ἀρχαίων sed αἰωνίων, qvod nuspiam antiqvum, sed semperæternũ significat, & Paulus dicit ante illa tempora æterna factam esse promissionem vitæ æternæ, ideo non potest intelligi de promissionibus illis in tempore factis. Alii *ævum aliqvod, præcedens mundi creationem*, in qvô fuerit Deus cum Angelis sine mutabilitate, intelligunt. Verum qvia Scriptura tale ignorat seculum errorqve hic Origenis in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. damnatus, meritò rejicitur. Alii verò & qvidem rectè per tempora αἰώνια intelligunt omnia secula, qvæ unqvam ab initio fluxerunt. Igitur æterna seu secularia tempora vocat Apostolus perpetuam temporis seriem ab orbe condito. Qvia autem qvicqvid hanc temporum seriem antecedit, propriè æternum est, idcircò dicens ante tempora secularia, æternitatem notavit. Conf Guiliel. Estium & B. Balduin. *in Comm. in h. l.*

Nec valet (4) eorum argumentum, qvi Angelos ante Hexaemeron conditos asserunt, qvòd *Moses ne verbo qvidem eorum faciat mentionem.* Resp. Augustinus *l. 11. de C. D. c. 5.* & Beda *in Hexaemero*

exi-

existimant, *creationem Angelorum non fuisse à Mose prætermissam, sed eam significasse nobis nomine Lucis.* Sed hæc sententia ut falsa (Conf. Vazqvez. *q 61. a. 3. c. 6. p. 224.*) rejicitur. Verius existimo, Mosen creationis Angelorum *exserte* non meminisse ideò, qvia ipsi propositum fuerit narrationem suam populariter, rerum duntaxat aspectabilium & corporearum productione secundum sex mundi natales delineatâ persequi. Adde, qvod Moses Angelorum creationem non prorsùs prætermiserit ut etiam Aben Ezra, & cum eo alii citati à R Menass. B. Isr. *de creatione Probl. 25. p 69.* putant, cùm cœlos unà cum omni suô exercitu completos esse dicat. Jam verò Angeli etiam sunt pars exercitus illius. Adjiciunt alii, Mosen præcavere voluisse idololatriam, ad qvam Israelitæ proclives erant. Sed hæc ratio nullius videtur esse ponderis, cùm potius eam ob causam meminisse creationis Angelorum debuisset, qvia timendum erat, ne putarent eos esse minores qvosdam Deos, qvos in enumeratione creaturarum prætermissos viderent. Conf. Vazqvez. l. c. Gerh. *Isagog. L. Theol. Disput. 12. p. m. 506.*

TH. XXVII.

§. 36. UBI autem conditi fuerint an *in cœlo*, an *extra cœlum*, sacer codex non prodit, neqve sana ratio nobis suggerit. Plerisqꝫ Scholasticis placet *cœlum Empyreum.* Vid. Thom. 1. *Part. q. 61. a. 4.* Franciscum Svarez. *l. 1 de Angelis c. 4.* Joh. Bissel. *Illustr. Ruin. Decad. 1. p. 22. seq.* Verùm Cœli empyrei figmentum dudum fuit explosum. Nonnulli statuunt *extra cœlum conditos Angelos*, & in eò deinde collocatos esse: sicut & Adamum productum extra paradisum, in paradisum autem deinde constitutum arbitrantur, qvam sententiam defendit B. Röber. *in Colleg. Theol. Disput. 4.* distingvens inter *sedem habitationis & ortum vel locum creationis*; & dicens Angelis in cœlo qvidem competere illam, non verò hunc. Recentiorum qvidam in *cœlo firmamenti* putant conditos. Sicut enim ordinarium Angelorum πᾶ cœlum beatorum esse statuitur, itâ etiam ibidem fuisse conditos, ipsis probabile est, qvia nihil certi ob silentium Scripturæ determinari potest.

TH. XXIIX.

§. 37. LAPSUS Angelorum malorum describitur ita: *Dæmones à veritate, in qvâ creati erant, liberâ voluntate desciverunt, & peccarunt.* Ubi duo de malis Angelis prædicantur; qvorum unum à BONO DEFECTIO, alterum MALI ELECTIO.

A BONO DEFECTIO innuitur his verbis: *Angeli mali à veritate, in qvâ creati erant, desciverunt*, qvæ phrasis desumta est ex oraculo Salvatoris *Joh. IIX. 44. Diabolus in veritate non stetit.* Ubi per veritatem, censente B. Dannh. *Hodosoph. Christ. Phæn. III. p. 283.* non tantùm intelligitur veritas objectiva verbi divini, qvam in Paradiso negatum & refutatum ivit Satanas, sed etiam veritas fidei & obedientiæ in creatorem: In hâc veritate, perfectione & integritate concreatâ ac connaturali οὐκ ἔστηκε non perstitit, non perseveravit Diabolus. (*Nam simplicia verba apud Ebræos habent etiam significationem compositorum, qvo sensu etiam h. l. usurpatur verbum* ἵστημι. Conf. *Luc. XXI. 36. Eph. VI. 13.*) sed hanc veritatem, bonitatem, imò ipsum Deum summum illud bonum reliqvit, nec servavit τὴν ἑαυτὴν ἀρχὴν καὶ τὸ ἴδιον οἰκητήριον ut locum Salvatoris modò adductum B. Judas *in Epist. v. 6.* explicat. Per ἀρχὴν qvidam intelligunt *originalem justitiam, integritatem & bonitatem concreatam.* Oecumenius & alii accipiunt *de principatu cœlesti*, qvò respiciens B. Lutherus ità vertit: Sie haben ihre Fürstenthüme nicht behalten / & Syrus *principatum*, Arabs a. *ordinem seu constitutum suum officium* transtulit. Per οἰκητήριον qvidam intelligunt domicilium cœleste. Sed qvia hoc domicilium Angeli qvidam non sponte reliqverunt, sed ob lapsum relinqvere coacti fuerunt, qvod ad pœnam Diabolorum pertinet; ideo B. Gerhard & Danhauer per hoc οἰκητήριον intelligunt *stationem & mansionem Angelorum malorum felicem*, qvòd cùm priùs fuerint exercitus cœlestes, à Jehovâ Zebaoth in certâ statione collocati, transfugæ facti, illam stationem & mansionem felicē reliqverunt. Fuit autem hæc statio & felicitas non *perfectè glorioſa*, sed confirmationis dono coronanda. Hinc Scholastici distingvunt inter beatitudinem seu perfectionem acceptam *positivè* & *privativè*. Priori modò beatitudo notat statum perfectum plenitudine omnis

boni

boni & sic includit claram Dei visionem, perfectam fruitionem & firmam tentionem. Hanc perfectionem denegant Angelisante confirmationem in bono. (Nam & orthodoxi beatificam Dei visionem non nisi confirmatis in bono Angelis concedunt cum Dn. Calov. *Tom IV. Syst. fol. 57.*) Posteriori modo perfectio *notat statum privatum omni malo culpæ & pœnæ, & habentem qvicqvid naturæ suæ convenit.* Hanc perfectionem tribuunt Angelis etiam ante sui in bono confirmationem. Vid. Thom. *P. 1. q. 2. a 1.* Bonaventura & alii. Hanc qvidam Angeli reliqverunt, & qvidem nullo instigante sed liberâ voluntate desciverunt. Nam anteqvam laberentur, habuerunt veritatem actu impressam & concreatam ad fidem DEO præstandam & obtinendam (non qvidem meritorie) confirmationis, impeccabilitatis, indeficibilitatis, & constantiæ in bono coronam, & declinandum lapsum vires, arma auxiliaria, sed hac libertate fuerunt abusi. Principium igitur malitiæ *Qvod* non Deus fuit, sed Diabolus ipse, ut *Qvo* verò libera sc. Angelorum voluntas.

TH. XXIX.

§. 38. Temporis autem momentum, qvo Angeli mali lapsi sunt // *distinctè* ostendi non potest: *Confusè* tamen novimus, qvod mali Angeli non diu in statu integritatis steterint, qvoniam priùs, qvàm primi Parentes, peccârunt. *Qvando* itaqve defectionis *generale* Scriptura satis exprimit innuendo, qvòd lapsus Angelorum præcesserit lapsum hominis, siqvidem Diabolus per serpentem mendaciô suô mulierem seduxit. *Qvando* verò defectionis *speciale*, nec Scriptura manifestat, nec aliunde nobis infallibiliter constat Et qvamqvam *mox in primo creationis instanti labi potuissent*, qvod asserunt Scholastici cum Scotô & Ariminensi, ut & Becanus Jesuita *Theol. Scholast. tractat 3. c. 4. q. 10. concl. 2.* (rectius autem negant Thomas, Albertus Alensis & Thomistæ pleriqve cum Augustino) probabilius tamen qvoddam inter creationem & defectionem Angelicam intervallum, qvantum qvantum hoc sit, admittitur. Sunt qvidem nonnulli, ut Hugo Victorinus *tract. de Sacram. P. 1. c. 10.* Cornelius *in C. 1. Genes. die mund. 1. v. 4.* qvi statuunt, *ne qvidem mundi diem eos exegisse felicem.* Rigidius verò adhuc Moncæus *Disp. 6. c. 7. & 8. nec ad unius horæ no-*

stratis

stratis spatium Angelos turbator tenuisse cœli coloniam, pronunciavit. Voetius & M. Nicolai tribuunt Justino, Clementi Alex. Lactantio & Tertulliano, qvod statuerint *Angelos demum Noæ tempore lapsos esse*, qvi tamen de alio lapsu loqvuntur.

TH. XXX.

§. 39. UBI lapsûs, neq; aër, neqve cœlum Empyreum, sed πῦ beatitudinis cœlestis, in qvo & conditi sunt, fuit.

TH. XXXI.

§. 40. Electio mali probatur ex eâ analogiâ, qvâ peccatores in Spirit. S qvia sufficienti intellectus lumine instructi *Ebr. VI. 4.* ἑκουσίως *c IX. 26.* peccare dicuntur. Eôdem modô Angeli in integritate conditi spontè deliqverunt, & ita voluntariè peccantes, nemine cogente, in veritate non steterunt. *Joh. IIX. 44.* originem non servârunt, domicilium suum deseruerunt *Jud. v. 6.* & conseqventer scienter malum bono præferentes præ hôc illud elegerunt. Qvodnam autem in specie Angelorum malorum fuerit peccatum, non *omnes* (Ebræorum diverbiô) *sapientum digiti hic æqvales sunt*, qvia illud in Scripturis distinctè explicatum non reperitur. Tertulliano & Origeni *amor & concubitus fœmellarum* placet. Verùm qvoniam nondum mulier ulla fuit, cum Angeli, qvibus præterea sensitivus appetitus non competit, jam defectores essent, meritò rejicitur. Conf. Johann. Bissel. *Ruin. Illustr. Dec. I p. 37. 38. 39. 40. 41. seqq.* Alii existiman affectâsse ipsum *unionem hypostaticam*, & eam excellentiam humanæ naturæ invidisse, ut Svarez *T. I. Disput. V.* Catharinus, Cornelius à Lapide *in II. Pet. II. 4.* Sed rectè negat Becanus *Tract. 3. c. 4 Concl. 2. p. 120.* Diabolo tùm notum fuisse mysterium unionis personalis. Communiter tamen Patres & Scholastici, ut Thomas a. 3 Cajetanus, Lombardus, Bonaventura, Becanus Theol. Schol. *Tract 3. c. 4. q. 3. concl. 2. pag. 119.* Vazqvez *q 63. a. 3. d. 232. p. 672.* aliiqve existimant, illorum *primum peccatum* fuisse *superbiam*, cujus sententiæ ipse qvoqve B. Lutherus est *Comment in Genes.* Et Veteres qvidem ad confirmandam sententiam adferunt qvædam Scripturæ loca, v g. qvòd *Job.* XLI 25. dicitur Leviathan, *Rex super omnes filios superbiæ*, eô existimant *mysticè* adumbrari Diabolum, qvòd

qvod dicatur Rex, qvi ſuper omnes filios ſuperbiæ. Item qvòd *Eſ. XIV. 11.* dicitur de rege Babyloniæ, *detracta eſt ad inferos ſuperbia tua*, & rurſum exiſtimant *myſticè* adumbrari primum peccatum ſc. ſuperbiam, ob qvam ejectus ſit cœlô. Tertiò provocant ad locum *Eccleſiaſt. X. 14.* Qvartò deniqve urgent qvòd primis parentibus ſuperbiæ peccatum inſtillare auſus eſt, *Eritis*, inqvit, *ſicut Dii Gen. III, 3.* Sed *probabilia ſunt hæc, non apodictica.* Interim hâc probabilitate poſſumus in re dubiâ acqvieſcere. Accedit, qvòd Spiritibus non aliud peccatum magis convenire videatur, qvàm ſuperbia. Non enim rerum naturalium amœnitate facilè capi poterant, ut homines, cum ſint ſubſtantiæ immateriales. Contra autem, ut erant creaturæ perfectiſſimæ, Deo omnium maximè ſimiles, probabile valdè eſt, qvòd ex contemplatione ſuæ perfectionis elati, nimiôqve ſui amore capti, in ſuperbiæ peccatum prolapſi ſint. Neqve impedit tamen, qvò minùs hanc mentis arrogantiam alia qvoqve peccata, Numinis contemtus, obſeqvii detractio, livor invidiæ & ſimilia fuerint comitata. Vid Wendelin. Theol. *Chriſt. Syſt. Maj l. 1. c. 8. p. 453.* Interea hanc theſin opponimus

1. MANICHÆIS & PRISCILLIANISTIS, qvorum errorem in præcedanea theſi notavimus.

2. NONNULLIS, qvi locum Judæ modò adductum non de *Spiritibus cœleſtibus*, ſed *de Principibus populi Iſraelitici* exponunt contra locum *II. Pet. II. 4.*

3. ILLIS, *qvi lapſum Angelorum malorum abſoluto* Dei *decreto imputant.* Sic enim Piſcator in ausführlichen Bericht von den Hauptſtücken Chriſtlicher Religion/ *p. 18.* differit: Es iſt gewiß/ daß Gott von Ewigkeit beſchloſſen hat/ etliche Engel und etliche Menſchen ſeelig zu machen/ etliche aber zu verdammen. Eandem buccinam inflat Bucanus *l. VI. de Angelis q. 10. p. 63.* ubi propoſitâ qvæſtione; Cur Angelorum aliis à veritate deficientibus, alii in gratia & veritate perſtiterint; ſubjicit, *ſuprema cauſa eſt æternum firmum & immutabile* Dei *decretum & beneplacitum.* Sed hunc errorem maſculè profligavit Dn. D. Georg. Mœbius, Præceptor meus filialis obſervantiæ cultu æternum proſeqvendus in Exam. Cenſ. Marci Friderici

Wendelini Disp. X. q. II. p. 201. sub cujus præsidio tunc steti, qvo Lectorem brevitatis studio remitto.

Nec obstat, qvòd Deus non immutabiliter bonos condidit. Non enim voluit. Liberum arbitrium autem dedit, qvô qvilibet benè uti potuit, qvia tamen noluit, *liberâ voluntate & propriâ culpâ* ut modò diximus, *defecit*.

TH. XXXII.

§. 41. Statum Dæmonum POST LAPSUM monstrat definitio suprà tradita his verbis: *Angeli mali facti sunt Dei hominumq; hostes acerrimi, atq; servantur adjudicium magni diei cruciandi igne æternô.* Qvibus verbis inmuitur hostile & implacabile Dæmonum ODIUM in Deum, totumqve genus humanum, eorundemqve SUPPLICIUM.

TH. XXXIII.

§ 42 Hostile ODIUM, qvod Diabolis cum DEO intercedit, in definitione his notatur verbis: *Dæmones facti sunt Dei hostes acerrimi.* De hôc odiô ipse Deus concionatur in Prot-Evangeliô, qvando serpentem ita alloqvitur: *ponam qvoq; inimicitias inter te & ipsam mulierem, & inter semen tuum & semen ejus, ipsum conteret tibi caput, & tu conteres ei calcaneum. Gen. III. 15.* Qvæ verba non sunt intelligenda de *naturali ἀντιπαθεία* & odio, inter serpentem & homines, sed de *hostili* odiô inter semen mulieris, Christum, & inter serpentem, id est Diabolum, ejusqve semen, ubi utraqve pars alterius qværit & meditatur interitum & plenariam internecionem, sed diversô successu & eventu contrariô. Semen mulieris serpentis caput, id est totam potentiam conteret: Serpens non caput seminis mulieris, non ipsum semen mulieris, sed tantùm עקב calcaneum conterere valet. Qvod notandum contra Calvinum, qvi cum Judæis hunc locum de *naturali ἀντιπαθεία & odiô inter serpentem & homines*, interpretatur *Comment. in hunc locum.* Sed nostri non est instituti hanc promissionem Evangelicam à corruptelis Pontificiorum & Calvinianorum vindicare. Qvi verò uberiorem hujus loci explicationem desiderat, adeat B. Polycarpi Lyseri, Gerhardi, & aliorum *Commentarios in h. l.* & cumprimis B. Glassii *Disputationem de hôc Prot-Evangeliô*, qvam

qvam contra Jacobum Gordonum Huntlæum in illustri Academiâ Jenensi habuit 10. Novembr. Anno 1625. Et hoc est *odium Diaboli in Deum.*

TH. XXXIV.

§. 43. ODIUM Diaboli in HOMINES, exprimitur in definitione his verbis: Angeli *mali facti sunt hostes HOMINUM acerrimi.* Odium hoc Diaboli in omnes homines, & præsertim in pios describitur *I. Pet. V. 8. Apoc.* XII. *13.* Qvum enim Deo nocere neqveat *Angelus ille mortis,* qvod nomen è Prov XVI. 14. ducunt AbenEsra Salomon & R. Levi, eôq; Diabolũ delineant, Vid Dannh Hodosop. *Phænom.* XII *p. 1432.)* propter Deum homini, qvi ad imaginem Dei creatus est, omnibus modis insidiatur. Sicut iracundus & furiosus aliqvis, si adversùs hostes iram exspuere prohibetur, postea præ indignationis vehementiâ in ipsos qvasi domesticos sævit. Panthera, *ait Basilius in Psal.* naturalem qvandam habet adversûs hominem iram, & solet vel maximè in oculos insilire. Hinc qvi insanæ illi bestiæ illudunt ex chartâ imaginem, qvasi hominem ipsi ostentant, illa verò nimiô impetu ac nullâ consideratione acta esse hominem autumans, chartam veluti hominem concerpit, atq; hinc, qvantô sit in hominem odiô ostendit. Eôdem prorsus modô monstrum immane & truculenta Panthera Diabolus, qvanto flagret in Deum odio, ostendit, dum ipsum Deum attingere non valens, magnâ feritate in hominem, DEI similitudinem referentem, insurgit: & sicut gladiator, qvi caput hostis ferire neqvit, corpus aut membra appetit: sic Diabolus, cum Christo capiti Ecclesiæ damnum inferre neqveat, membris ejus insidiatur. Et *sic vidimus Diaboli in Deum & totum genus humanum* ODIUM,

TH. XXXV.

§. 44. SUPPLICIUM malorum Angelorum definitio describit his verbis: *Dæmones in judicium magni diei catenis caliginis* servantur cruciandi igne æternô. Qvibus verbis describitur Potentia *Dæmonum* PASSIVA, qvæ monstratur in SUPPLICIO PRÆSENTI, & FUTURO.

TH XXXVI.

§. 45. SUPPLICIUM Dæmonum PRÆSENS in definitione no-

notatur verbô SERVANTUR, qvod desumptum est 2. *Pet. II.* 4. ubi D. Apostolus ita ait: Deus Angelis peccantibus non pepercit, ἀλλα σειραῖς ζόφȣ ταρταρώσας παρέδωκεν εἰς κρίσιν τετηρημένȣς, ubi pro τετηρημένȣς qvidam codices Græci legunt τηρημένȣς, qvam lectionem etiam observat Benedictus Arias Montanus, tradidit servandos, tradidit servari sive qvi serventur. Sed sive legas τετηρημένȣς servatos, qvod Perfectum τετήρηκε etiam Apostolus Judas habet, sive τηρημένȣς παρέδωκε servandos tradidit, tradidit servari, sive qvi serventur, nihil tamen sensui decedit. Est enim Metaphora ducta à latronibus vel aliis maleficis, qvi catenis vincti in tetrum & tenebricosum carcerem conjiciuntur, in qvô usqve ad diem judicii & supplicii adservantur. Ita Deus Angelos Apostatas in tartarum præcipitavit, in qvô *catenis tenebrarum*, ut Petrus loqvitur, vel, ut Judas ait, *catenis æternis*, sub caligine reservantur.

TH. XXXVII.

§. 46, Qvamvis autem Dæmones vinculis caliginis constricti in carcere servantur, tamen τὸ *servantur* non ita est accipiendum, qvasi ante judicium extremum eô modô carceri infernali sint inclusi, ut ex eô nullus ipsis pateat exitus. Circumvagantur enim per orbem terrarum *Job. I. 7. c. II. 2.* versantur in aere *Eph. VI.* 12. ad nos veniunt magnam habentes iram *Apoc. XII. 12.* Qvæ dicta non pugnant ἀνελφατικῶς cum dictô Petrinô. Rem declarabo simili: Magistratus interdum captivo permittit, ut per exiguum temporis spacium éxeat è carcere, & tamen ita, ut vinculis constrictus obambulet, & tandem in carcerem iterum conjiciatur: Ita Deus ante judicii extremi diem permittit malis Angelis exire in terram *Apoc. IX. 1. c. XII. 12.* & homines tentare impios & vexare. Distingvendum igitur inter *locum malorum Angelorum ordinarium, & extraordinarium. Ordinarium* malorum Angelorum locus est *infernus*, cui omnes post lapsum sunt adjudicati, & in eum præcipitati. *Extraordinarium* ante diem judicii locus est *aer, mare, terra, &c.* ubi mali Spiritus versantur & in illis versari malunt, qvàm in infernô: hinc etiam abyssum deprecantur *Luc. IIX. 31.* Confer. Becan. *Theol. Schol. Tract. 3. c. 5. concl. 5. p. 123.*

TH. XXXIIX.

§. 47.

§. 47. Nec τὸ *ſervantur* ita eſt intelligendum, qvaſi Dæmones ante extremum judicium ab omni pœnâ planè ſiñt immunes & liberi. Si enim impii homines in extremô judiciô infernalibus pœnis dicuntur adjudicandi, qvorum tamen animæ ſtatim poſt ſeparationem à corporibus torqventur in infernò *Luc. XVI.* 23. utiqve idem ſtatuendum de malis Angelis. Unde Beda *in Cap. III. Jacob.* dicit, *Dæmones qvocunqve abeant, ubicunq; degant, ſuum circumferre infernum.* [inferni nomine pro ſtatu miſeriæ accepto.) Et gloſſ. ordin. *in Cap. III. Jac.* ita diſſerit. *Sicut gehenna ſemper ardet: Sic Diabolus, ubicunqve ſit, vel in aere, vel ſub terrâ, ſemper ſecum fert tormenta flammarum ſuarum.* Qvod notandum *contra nonnullos Patres exiſtimantes, Dæmones ante extremum judicium ſimpliciter & abſolutè ab omni pœnâ eſſe immunes & liberos,* qvos adducit B. Gerhard. *art. de extrem. Jud. §. 46 p. 40.* Et hoc eſt Dæmonum ſupplicium, qvo in præſenti ſeculo afficiuntur, dum vinculis caliginis conſtricti ſervantur, & ſemper ſecum circumferunt vermem malæ conſcientiæ, qvi non moritur *Luc. XVI. 44.* ubi plèriqve per *vermem* ἀσελεύτητον *non naturalem & propriè dictum,* qvod olim Scholis placuit, ſed *conſcientiæ angorem* intelligunt. De horrendo ſupplicio vermiculationis ſive ſcaphiſmi apud Perſas uſitato vid. Plutarch. *in Artaterxe,* Zonoram *Tom. I. Annal.*

TH. XXXIX.

§. 48. SUPPLICIUM malorum Angelorum FUTURUM definitio ita delineat: *Dæmones ſervantur ad Judicium magni diei cruciandi catenis caliginis, & igne æternô.* In qvibus verbis tria obſervatu digna occurrunt (1) TEMPORIS NOTATIO (2) POENÆ DENOMINATIO (3) ejusdemqve DURATIO.

TH. XL.

§. 49 TEMPUS qvo Dæmones ſupplicio graviori afficientur, erit *dies Pantocritica.* Servantur enim Angeli mali ad judicium, ut Petrus loqvitur, ad judicium magni diei, ut Judas hæc verba ἐξηγήσεως causâ addit, & per μεγάλην ἡμέραν diem extremi judicii intelligit. Conf. II. *Pet.* II. 9. *Matth. XXV. Judith. XVI. 20.*

Nec obſtant ſententiæ noſtræ de futuro Dæmonum ſupplicio verba Chriſti *Joh. XVI. 20. Diabolus jam judicatus eſt.* Si autem

jam judicatus est, utiqve adhuc non erit judicandus in die illô censoriô. Distingvendum enim inter *judicium, qvod Deus adversùs Angelos Apostatas statim post ipsorum lapsum exercuit*, qvando infernalibus suppliciis propter apostasiam & inobedientiam eosdem adjudicavit; & inter *judicium, qvod in novissimô die adversùs ipsos exercebit. Prius fuit particulare*, institutum duntaxat adversùs Angelos malos: *Posterius adversùs Angelos malos, & homines instituetur.* Prius aliqvam grassandi licentiam Diabolis adhuc permittit, uti suprà vidimus: Posterius vero omnem eorum potestatem in pios evacuabit; illud præcessit hoc seqvetur: illud continet sententiæ damnatoriæ pronunciationem: hoc v. jam pronunciatæ sententiæ plenariam executionem & pœnæ exasperationem. Hûc qvoqve referri potest, qvod legitur in librô, cui titulus *Altercatio Synagogæ & Ecclesiæ* C. *VI. Triforme unius Trinitatis judicium esse non dubites. Primum, qvô Diabolus de cœlô dejectus est, & ultimum, qvô idem in fine mundi cum omni corpore suô in ignem æternum præcipitandus est.* Medium ipsum Diluvium. *Primô & ultimô soli improbi feriuntur, & soli electi reservantur secundo autem i. e. medio nec soli electi reservantur, nec soli reprobi suffocantur.* Et sic vidimus *temporis notationem* qvô Diaboli supplicio infernali plenariè subjicientur, nempe ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως; nunc contemplabimur *Pœnam*, qvâ Angeli mali cum damnatis in novissimô die afficientur.

TH. XLI.

§. 50. Erit autem pœna malorum Angelorum tùm *Privativa*, tùm *Positiva*. Qvam distinctionem tradunt Scholastici. Dicunt enim in damnatione esse duo, pœnæ sc. inflictionem, qvam pœnam sensûs vocant, & æternam à Deo separationem, qvam pœnã damni appellant vid. Bonavent. *4 Sentent. Distinct. 48. in dub. l. 1.* Compendium Theol. *l. 7. cap. 3.* Cameracensem *in princip. Sentent.*

TH. XLII.

§. 51. Pœna Dæmonum *Privativa* erunt catenæ caliginis. Cruciabuntur enim Dæmones *catenis caliginis*, ut habet definitio. Hanc pœnam D. Petrus vocat σειρὰς τοῦ ζόφου. Descendit autem vox Ζόφος à ζὰ valdè & νέφος nubes. Undè Vulgatus Ζόφον reddidit per *infernum*, ut sit Metonymia adjuncti pro subjectô, caligo

pro

pro infernô caliginosô. Sed Judas Ζόφον κατὰ πόδα reddidit per caliginem. Hinc dicitur Ζόφος τῦ σκότους caligo tenebrarum per Ebraismum h.e. caligo tenebrosissima *Jud. v. 13.* Et qvamvis hæ catenæ caliginis Diabolis nunc sint ad custodiam, tamen tunc erunt ipsis ad supplicium & pœnam. Qvemadmodum enim impiorum hominum supplicia augebuntur, & plenè consummabuntur, qvando animæ ipsorum cum corporibus redunitæ in infernum conjicientur: ita malorum Spirituum cœcitas major erit in novissimô die, qvàm in hôc seculô. Detrimentum enim patientur (1) etiam qvoad cogniti onem ex *lumine naturæ* in inferno, qvi est tenebrosus carcer & horridus locus tenebrarum *Job. XXXIIX. 17.* juxtâ B. Gerh. *in Post. Epist. Petr. c. II. p. 313.*

Privabuntur Angeli mali (2) *lumine gratiæ.* Nam gratiâ DEI ita exciderunt, ut nulla qvidem spes supersit redeundi cum DEO in gratiam, nec ullus ipsis mediator sit datus, qvia minùs decuit destructores humanæ naturæ ex directò, qvô Deum prosequebantur, odiô in gratiam redire cum ipsô, ut *loqvitur Alcuinus Proœm. l. 3. de Trinit.* Et qvemadmodum de Sodomitis, in qvibus δεῖγμα πυρὸς αἰωνίου propositum *Jud. v. 7.* refertur *Genes. XIX. 11. qvod percussi fuerint* בסנורים *cœcitatibus in Plurali*, qvia internâ & externâ cordis & oculorum caligine fuerint suffusi: ita qvoqve de damnatis rectè pronunciare possumus, qvòd interioribus & exterioribus tenebris sint occœcati. Privabuntur Angeli mali (3) deniqve *lumine gloriæ*, Qvemadmodum enim sancti Angeli *vident faciem Patris cœlestis*, & qvidem διὰπαντὸς, qvæ phrasis ἐκλεκτόν τι notat *Matth. XIIX. 10.* ita mali Angeli & damnati non videbunt lumen illud gloriæ usqve in seculum, non videbunt lumen illud purissimum, Deum Patrem, qvi est *Pater luminis Jac. I. 17.*; non videbunt Deum Filium, qvi est *Lumen de Lumine*, ut loqvitur Symbolum Nicænum; non videbunt Spiritum S. *qvi est Deus, qvi nos illuminat*, *Psa.* CXIIX. 27. Qvæ sane pœna erit omnium gravissima. Qvemadmodum enim beatitudo electorum *essentialiter & principaliter* in visione Dei consistet. I *Cor.* XIII 12. I *Joh.* III. 2. *Apoc.* XXII. 4, ita vice versâ Dæmonum & damnatorum infelicitas in carentiâ

tiâ & privatione visionis beatificæ consistet. Hinc rectè Bernhardus *lib. de anim. c. 3.* scribit: *Omnia Gehennæ supplicia superabit Deum non videre, & bonis carere, quæ in potestate habuisti, ut obtineres.* Et hæc de Dæmonum *pœnâ privativâ* vel *pœnâ damni*, ut loquuntur.

TH. XLIII.

§. 52. Pœna Dæmonum POSITIVA, vel *pœnâ sensûs*, ut loquuntur, erit sensus cruciatuum infernalium, quæ pœna sensûs in in definitione notatur his verbis: *Dæmones servantur* CRUCIANDI *igne*. Quibus verbis innuitur tùm pœnæ infernalis positivæ GRAVITAS, tùm instrumenti pœnalis QUALITAS.

TH. XLIV.

§. 53. Pœnæ infernalis positivæ GRAVITAS exprimitur verbô CRUCIANDI, quod verbum deducimus ex *Apoc. XX. 10.* ubi D. Johannes ita infit: *Et Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris, ubi & bestia & Pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum.* Quibus verbis extremum Diaboli supplicium notatur. Antea enim captivus saltem detinebatur, at nunc non solùm in stagnum ignis mittitur, sed etiam gravissimè cruciatur. Utitur enim Apostolus verbô βασανίζομαι. Βασανίζω autem propriè est exploro, probo, examino: per Metaphoram significat torqueo. Sic de divite epulone dicitur *Luc. XVI. 23. quod fuerit* ἐν βασάνοις: per τὰς βασάνους autem notantur tormenta gravissima, qualia sunt flagitiosorum, qui à Carnifice torquentur, quæ exquisitissima sunt tormenta. Sed longè graviora erunt tormenta tartarea. Quemadmodum enim felicitatem piorum in cœlis ipsis præparatam nemo hominum in terris degentium animô perfectè concipere nedum lingvâ eloqvi potest *Esa. LIV. 11. I. Cor. II. 9.* Ità qvoqve extremam miseriam atqve infelicitatem Dæmonum & damnatorum in infernô nullus mortalium satis dignè æstimare & expendere potest. Nihil est enim in rebus corruptibilibus, qvod conferri possit incorruptibilibus sive bonis sive malis. *Non est dubium, qvin id, qvod nulla temporis mensurâ circumscribitur, nullâ etiam creatâ mente comprehendatur*, inqvit Augustinus *Serm. 181. de tempore.* Hinc ipsi Diaboli hæc tormenta perhorrescunt, qvando Christo dicunt, ἦλθες ὧδε

ὧδε πρὸ καιροῦ βασανίσαι ἡμᾶς, *veniſti huc, ut nos torqueres ante tempus*; id eſt ante noviſſimum diem, ſeu univerſale judicium. Nam dies adventûs Domini h. l vocatur *tempus antonomasticè Matth. IIX. 29.* De qvibus autem cruciatibus vox βασανίζειν in ſacris literis uſurpetur, proſixè oſtendit B. Cluverus *Comment. in Cap. IX. Apocal. Joh. p. 343.* qvò lectorem brevitatis ſtudiô remittimus, & *ſupplicii tartarei GRAVITATEM* opponimus Origeni & Philoni, *qui infernum per interiores cordis ac conſcientiæ angores definiunt.* Eandem cum Origene foviſſe ſententiam Calvinum teſtatur Bellarmin. *l. 4. de Eccleſ. c. 9. T. 2 l. D* & Anaſtaſius Cochletius Carmelita Doctor Pariſienſis *peculiari ſcriptô editô adverſus Polyandrum*, qvamvis juſtam hîc ſcribi dicam Calvino negent Mortonus Theologus Anglus *Apolog. de Notis Eccleſ. P. 1. c. 26. p. 99.* Polyander ſcriptô, qvod Cochletio oppoſuit apud B. Brochmand. *Syſt. Theol. c. 3. q. 5. a. 48. p. m. 629.* Conf. Gerh. *Tract. de infernô* §. 77. *p. 239.*

TH. XLV.

§. 54. Inſtrumenti pœnalis QVALITAS in definitione indigitatur nomine IGNIS. Cruciabuntur enim Diaboli & damnati in infernô IGNE. Hoc pœnale inſtrumentum etiam ſacræ literæ Diabolo & damnatis multis in locis minantur. Vid. *Pſ.* XI. 7. *Eſ.* XXX. 33. *cap* LXVI. 24. *Marc.* IX. 44 46. & 48. ubi Chriſtus vocem ignis ter repetit II. *Theſſ* I 8. *Apoc* XIX. 20. *c.* XX. 10 14. *cap.* XXI. 8. & cumprimis perpende horribilem illam ſententiam, qvam juſtus judex adversùs impios & Diabolos in die judicii pronunciabit, dicens: *diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qvi paratus eſt Diabolo & Angelis ejus Matth.* XXV. 41. ubi primò per Diabolum Salvator intelligit caput & principem malorum ſpirituum qvi primus à Deô apoſtatavit, & reliqvis defectionis cauſa extitit, cujus Scriptura ſemper in ſingulari numerô mentionem facit *Matth.* IV 1. *cap.* XIII 39. *Luc.* IV. 13 unde & *Matth* IX. 34. vocatur δαιμονίων ἄρχων. Secundò per Angelos hujus Diaboli non intelliguntur *impii homines*, qvorum operâ ad machinanda mala utitur, uti qvidam *contendunt*, ſed Dæmones inferiores, qvorũ ipſe caput & princeps eſt *Apoc.* XII 7. & 9. Ex qvibus apparet, eſſe qvidem adhuc ordinem & diſtin-

tionem inter Angelos malos, ita, ut unus velut Princeps inter eos existat, cui reliqvi inferiores velut ministri serviant. Nec tamen interim probanda est *Judæorum opinio, &, qvi hos sequuntur, temeritas, qvâ certos Diabolorum ordines ità describunt, ut cuilibet peculiare nomen attribuant.*

Tertiò, qvid per IGNEM hîc intelligatur, discors est Doctorum opinio, decqve eô qvinqve inveniuntur sententiæ.

Prima est PATRUMqvorundam, Tertull. *lib. de anim. c. 7. p. 264. n. 30, 40.* August. *T. 5. p. 262. l. 21. de C. D. c. 10.* Greg. *l. 4 Dial. c. 29.* qvi dicunt, *infernalem ignem esse materialem, corporeum, visibilem, elementarem.* Horum vestigia premunt Bellarm. *l. 2. T. 2. de Purgatorio c. 11.* Maldonatus *Comment. in c. XVI. Luc. T. 2.* Barradius *l. 10. Com. in Conc. Evang. c. 4. p. 617.* Sixtus Senensis *l. 5. B. S. annot. 141.* Lorichius *in Thesaur. Theol. nov. in voce infernus num. 4.* Thyreus *de glorios. Christ apparit. c. 26. num. 52.* Eliasà S. Tiresia *Legat. Eccles. Triumph. & Militant.* & Scholastici, Gregorius de Valentia *T. 2. q. 15. punct. 3.* Thomas, Vazqvez, Svarez aliiqve. Verùm hanc sententiam non esse firmam ex jam dicendis patebit. Scriptura enim disertè dicit, omnia elementa in die illô censoriô esse conflagranda *II. Pet. III. 10.* At cum hâc mundi *substantiali destructione*, qvam omnes fermè Theologi probant, non potest consistere assertio de infernali igne materiali & propriè sic dictô. Scholastici qvidem hoc de *innovatione* tantùm intellectum volunt, qvi omnia innovatum, & ab omnibus sordibus, infectionibus & impuritatibus ex elementorum permistione provenientibus per ignem purgatum, adeoqve in melius mutatum iri, censent. Thomas *suppl. 3. Part. q. 74.* Qvâ sententiâ stante ipsis concedendum erit fore adhuc post judicium extremum ignem, qvô torqveri possint damnati. Sed qvalem nobis Scriptura S. describit flammivomum, fumificum & perennicrem (scil. non remansurum esse Thomas *cit. loc.* docet. 2.) *Matth. XXV. 41.* Infernalis ignis dicitur æternus: at verò *materialis & propriè sic dictus ignis non potest esse æternus*: Reqvirit enim ad sui conservationem pabulum, qvô alatur. 3.) Qvia ignis infernalis aget in Diabolos. Sed Diaboli non sunt corpora cremabilia, sed Spiritus, & si

ig ni

ignis infernalis esset materialis, non posset agere in Diabolos tanqvam in Spiritus.

Instas cum Scholasticis, ignem infernalem posse dupliciter considerari. 1. *absolutè*, ut est substantia materialis, pollens vi urendi & agens in materiam ustibilem. 2. posse considerari ut *instrumentum*, qvo utitur DEUS in puniendis Diabolis, atqve sic dicunt, *elevari ignem infernalem à causa principali, ut in Spiritum agere possit.*

Resp. (1.) Supponis ergò ignem, qvalem nondum probâsti. Ostende priùs Deum uti hoc instrumentô, & tùm de elevatione sis sollicitus. (2.) Non seqvitur: potest Deus ignem hunc elevare. Ergò hoc igne sic elevato utitur.

Nec obstat, qvòd Scriptura per flammam, sulphur, ligna describat.

Resp. 1. Solet Scriptura *de rebus ad futurum seculum pertinentibus phrasibus hujus seculi loqvi, qvemadmodum gaudia vitæ cœlestis per nuptias & convivia describit Matth.* IIX. 11.

2. Si esset ignis corpóreus, seqveretur illum certô describi locô. Jam verò locus Physicus inferno non tribuitur.

Altera sententia est eorum, qvi existimant, *Scripturam S. describere statum damnatorum per ignem, non qvòd propriè detur aliqvis ignis in infernô, sed ut inde significaret acerbissimos cruciatus & dolores damnatorum.* Sicuti enim omnium acutissimi sunt dolores, qvi ab igne proveniunt: ita ad significandum damnatorum dolores fore maximos, qvòd conjiciendi sint in ignem æternum. Breviter: *Per ignem pœnæ infernalis gravitatem adumbrari dicunt.* Qvemadmodum enim in priori sententiæ parte per regnum, in qvod in extremô die introducentur justi, summa felicitas, beatitudo, lætitia & gloria cœlestis intelligitur: ita in hâc posteriori sententiæ parte per ignem, in qvem Diaboli & damnati in novissimô die ablegabuntur, summa infelicitas, miseria, dolores, & cruciatus infernales vel *Metaphoricè vel certè Synecdochicè significantur.* Hanc sententiam amplectuntur

1. Patres nonnulli, Damascenus *l. 4. O. F. c.* XXIIX. scribit, *im-*

dios & peccatores venturos in ignem æternum, non materialem illum, qvalis est apud nos, sed παραδοθήσεται ὁ Διάβολος καὶ οἱ δαίμονες αὐτοῦ, καὶ ὁ ἄνθρωπος αὐτοῦ ἤγουν ὁ Αντίχριστος καὶ οἱ ἀσεβεῖς καὶ οἱ ἁμαρτωλοὶ εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον οὐχ ὑλικὸν οἷον τὸ παρ' ἡμῖν, ἀλλ' οἷον εἰδήη ὁ Θεός, qvalem novit DEus. Ambrosius *l. 7. in Luc. c. 14.* de hôc igne ita disserit: *Neq; corporalium aliqvis stridor dentium, neq; ignis aliqvis perpetuus flammarum corporalium, neq; vermis est corporalis.* Ejusdem sententiæ est Beda *l. 1. in Luc. c. 3.*

2. Theologi nonnulli magni nominis, B. Ægidius Hunnius *in loc. Matth.* modò adductum ità commentatur: *Salvator maledictos discedere jubet à conspectu suô in ignem æternũ h. e. ad supplicia nunqvam finienda, qvæ igne conferuntur: sicut & vermi vocibus ex seculô hôc mutuatis. Qvicqvid verò illud facturum est, qvod in specie ignorare præstat, qvàm experiri, certè erit tantum tamq; horribile tormentum & cruciatus, ut nullius elementaris ignis, qvantumvis densissimi vehementissimiq; vehementia ullô pactô ullâve ex parte cum eô comparari qveat.* D. Stephanus Gerlachius de hoc igne ita disserit: *Solet Scriptura damnatorum cruciatum ignem vocare. Id verò non de elementari, & quali nos utimur igne, intelligendum est; sed qvia ignis dolor ingens est, per ignem immensum inferni tormentum nobis adumbratur.* Hæc Gerlachius Com: *in cap. LXVI. Esa. v. ult.* B. Balduinus *Comment. in II. Epist. Pauli ad Thess. c. I. qvæst. V. p. m. 1199.* sic scribit: *Existimamus vocibus ignis, sulphuris, picis, summos notari cruciatus, qvibus corpus damnatorum torqveri potest: Solet enim Scriptura de rebus spiritualibus, & ad futurum seculum pertinentibus phrasibus hujus seculi loqvi, qvemadmodum gaudia vitæ cœlestis per nuptias & convivia describit Matth. IIX. & XXII. Luc. XXII. 30.* Confer B. Gerh. *Harmon. Cap CLXV p. 910.* Flacium *in Clav. Script. Part. I. voce ignis p. 404.* Paul. Rober. *Disput. de carceribus Papistarum subterraneis,* qvi pro hâc sententiâ Scholasticos, Bonaventuram, Gregorium &c adducit. D. Matth. Hafenreffer *Loc. Theol. l. 3. Loc. 9. f. 691.* D Caspar Finckii *Postill. Eccles. & Academ. p. 681. 682.* B. Dannhauer. *Hodos. Christ. P. 2. Phæn. 12. p. m. 1500.*

3. Nonnulli Calvinianorum, nominatim Junius *in Not. ad controv. 5. Bellarm. c. II. l. 2. n. 4.* Tilenus *in Disput. P. 2. Disput. de vitâ*

æternâ

eternâ p. 994. Danæus *l. 6. Isag.* Rainoldus *de libr. Canon. & Apocryph. Prælect. 51. p. 530. seqq.* & alii.

Nec obstat juxta illos locus *Matth.* XXV. ubi ex institutô & directè Christus de extremô judiciô & pœnis agit infernalibus, cùm enim dixisset: discedite à me maledicti in ignem æternum, statim subjungitur, & ibunt in supplicium æternum. Qvæ verba ultima innuere videntur, ignem infernalem non esse materialem & propriè sic dictum, sed metaphoricum. Sed supplicium hîc sese habet ut genus, & de omnibus affligendi modis dicitur. Ignis autem sive igne torqveri est species qvædam supplicii, sed qvi ponit genus, non tàm excludit qvàm includit species.

Nec est, qvòd dicant in infernô est *frigus & stridor dentium Matth.* IIX. 12. At verò stridor non provenit, nisi ex frigore. Jam si ignis infernalis esset propriè dictus, qvomodo damnatis possit provenire fletus & stridor dentium. Qvòd a. stridor proveniat ex frigore, non tantùm experientia testatur, sed etiam multi ex Patribus ità explicant stridorem dentium dicentes, infernum esse carcerem tenebricosum, frigidum, in qvô ob frigus intensissimum stridor dentium cum mœrore & ejulatu proveniat. Nam in Græcô textu est βρυγμὸς ὀδόντων. B. Luth. reddidit Zeenklappen. Verùm responderi potest. In Græcô textu haberi qvidem βρυγμὸς, quod non notat propriè *stridorem ex frigore ortum*, sed notat etiam stridorem *ex animô ob nimiam iram, acerbitatem, atqve livorem.* Ita etiam sumitur *Act. VII. 54.* Cùm n. Judæi nimiùm essent exacerbati, & furore qvasi incitati, stridebant dentibus in Stephanum. Sicut igitur verbum βρύχω non tantùm de stridore ex frigore proveniente, sed etiam de stridore ex livore, & iracundiâ ortô: ità etiam dici potest, in Infernô stridorem futurum esse non ex frigore intensissimô, sed ex animô iratô & lividô, imò etiam ex acerbissimis cruciatibus. Et videtur huc facere illud *Luc. XIII, 27. seq.* ubi causa qvasi videtur adsignari à Christo, videlicet, cum videbunt Abrahamum & omnes sanctos in tantâ gloriâ esse constitutos, ipsos contrâ immensis & nunqvam finiendis doloribus expositos.

Nec valet locus Esa. ult. vers. ult. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extingvetur.* Qvalis autem vermis, talis qvoqve ignis

gnis futurus erit. At per vermem Patres, Augustin. *l. 21. de C.D. c. 9.* Scholastici, Thomas *suppl. 3. P. q. 97. a. 2. spiritualem & analogum remordentis conscientiæ* intelligunt. E. & per ignem Metaphoricè exqvisitissimus significatur dolor.

Resp. Si cum nonnullis Patribus & Doctoribus nostris (ap. Brochmann. de Infernô *c. 3. q. 4. fol. m. 620.*) *veros* admittas vermes, argumentum contrâ nos non est: *Si metaphoricos*, argumentum non coget. Erit n. adhuc, qvod respondeatur. Sive autem hoc, sive illud admittas, illis qvibus τὸ ἐπέχειν placet, perinde fuerit.

Nec valet objectio: Si daretur ignis propriè dictus, qvô torqveantur damnati, seqveretur, omnium damnatorum *pœnam fore æqvalem.* Conseqvens est absurdum. E & antecedens. Potest enim DEus ipsum ignis effectum impedire, ut vel planè non affligat corpus, qvemadmodum fecit in fornace Babylonicâ *Dan. III. 21. 22. seq.* vel secundùm magis & minus, intensius & remissius agat, & cruciet damnatorum corpora.

Tertia est Calvinianorum nonnullorum. Keckermannus enim in *System. Theol. lib. II. c. 7.* existimat, *ignes subterraneos divinitùs auctos atq; intensos impiorum corpora cruciaturos esse.* Eadem est sententia Zanchii in *Cap. 1. Epist. post. ad Thess. Comm. 6. Oper. f. 458.* Alstedii *in Theol. Polem. Part. 4. controv. 11. p. 376.* Verùm his omnibus opponimus suprà citatos Calvianianos, qvi hanc sententiam rejiciunt, qvò lectorem remittimus.

Qvarta est eorum, qvi ἐπέχειν malunt, qvàm certi aliqvid statuere. Hanc seqvitur Augustinus *l. VIII. de Genes. ad lit. c. 5.* D. Althöfer *Harm. Evang. in Luc. XVI. 25.* Glassius *Philol. Sacr. Tract. 1. c. 10. de Metaph. ab igne p. 240. Præstat*, inqviens, *omni contentione de infernali igne effugiendô cogitare, qvàm de naturâ illius ignis perperam concertare.* Jacobus Raupius *in Biblioth. Portatil. l. 2. P. 7. c. 5. q. 4. p. 217 seq.* qvamvis in negantem qvæstionis partem propendeat, & Professores Leidenses *in Synops. purior. Theol. Disp. 52. Th. 51. p. 877.* aliiq;.

Restat adhuc qvinta & ultima, eorum videlicet, qvi ignem infernalem non qvidem materialem, sed tamen *verum ignem* esse dicunt. Ut B. Hülsemannus *in Breviar. c. 16. Th. 11. p. 268.* & alii, moti seqventibus

bus argumentis (a.) qvia expresè in Scripturâ vocatur ignis *Matth.* XXV, 41. III, 12. ipsi etiam tribuitur flamma, fumus, qvæ omnia indicant, à literâ sine urgente necessitate temerè non esse recedendum. (b.) Qvia non probabile est, Christum Judicem sententiem figuratis, verùm propriis verbis promulgaturum. Audient n. justissimam damnati sententiam: *ite maledicti in ignem æternum.* (c.) Qvia Christus ipse innuit, in Gehennâ esse ignem, cùm dicit, Gehennam ignis *Matth.* XIIX. & *Marc. IX.* Qvid a. hâc phrasi Ebræâ aliud est, qvàm gehennam ignitam, sive ignibus æstuantem dicere. Gehenna a. & infernus sunt ταυτο. Nam *Matth.* V, 22. infernus locus damnatorum dicitur Gehenna ut & *Marc.* IX, 42. 45. 47. *Luc.* XII. 5. *Jac. III, 6.* Est a. Gehenna Ebræum גי־הנם Gehinnom vel vallis Hinnom *Jos. XV, 8.* qvæ & dicebatur גי בן־הנם vallis filii seu filiorum Hinnom, qvæ fuit propè Hierusalem, & ad ostium portæ orientalis *Jer.* XIX. 6. Nam in ea horrenda per ignem τελετοφονία in cultum Molochi Idoli Ammonitarum exercebatur *II. Reg.* XXI, 6. XXIII. 10. Unde & Buxtorf. in *Lexic. p. 108. seq.* ex Rabbinis deducit, הנם dicit à נהם rugitu, & ejulatu puerorum: תפת verò (qvi fuit locus qvidam excelsior in eâdem convalle ædificatus, ubi immolatio liberorum peragebatur) à תפים tympanis, qvæ pulsabantur, ne ejulatus & clamor pereuntium puerorum audiretur. Vid. Glass. *Philol. Sacr. l. 4. Tract. 3. de Nom. Prop. p. 870* & R. Menass. B. I. *de creatione Probl. 20. p. 81. seq.* unde & תפתי infernus dicitur à nomine תפת *Esai* XXX, 33. & desumta est hæc appellatio ex qvâcunq; Analogiâ, & qvasi infernalium cruciatuum typô, qvi in valle Hinnom fuit.

TH. XLVI.

§. 55. Qvid verò vel tandem in tot sententiarum divortiis tenendum sit, qvilibet pro ingenii capacitate viderit. Nos ità omninò existimamus:

I. Existere aliqvem ignem infernalem; prout Th. XLV. demonstratum est.

II. Hunc ignem Diabolis & damnatis hominibus paratum.

III. Utrorumq; summè ac sine fine cruciativum esse. Si qvis autem à nobis postulat, ut hujus ignis naturam accuratius exprimamus, respondebimus.

(a.) Cum

(a) Cum D. Augustino : *Qvalis sit ignis infernalis, hominem arbitror scire neminem, nisi forte, cui Spiritus divinus ostendit L. XX de C. D. C. CXVI.*

(b.) Cum Theologô de universâ Ecclesiâ meritissimô B. Gerhardô : *Præstat omne studiô per veram ac seriam conversionem de fugiendô igne esse sollicitum, qvàm de naturâ illius ignis odiosè & otiosè disputare.*

(c) Interim non verebimur in conflictu, qvid de unâqvâqve sententiarum nobis videatur, exponere.

TH. XLVII.

§ 56. Diversæ aliâs de hôc igne infernali inveniuntur opiniones. Paraphrastes Chaldæus *ad Cantic. VIII.* vult, ignem Gehennæ secundô die creationis conditum esse, qvia operi secundæ diei non fuerit additum כי טוב Thalmudici docent in Codice Pesachim, Conf. R. Menass. Ben Israel *de creatione Probl. 20. p 80 seq.* Joseph de Voisin *Theolog. Judaic. p. 52.* Et hâc de causâ vetuerunt pii sapientes, inqvit jam citatus R inchoari novum opus die secundô hebdomadis, ideoq; ab iis dicitur אין מתחילין בשני non incipiendum esse opus die secundô hebdomadis, eumq; *atrum diem* vocârunt. lidem porrò duplicem faciunt Gehennam, caloris & frigoris; *in libro Sohar. col. 205. in Genesin.* à qvibus sine dubio Hieronymus & alii, qvæ de duplici Gehenna frigoris & ignis dixêre, acceperunt. vid. Hieronym. *in Job. c. XXIV. v. 19.* Verùm nos hæc in medio relinqvimus.

TH XLVIII.

§. 57. De modo, qvomodo videlicet Diaboli & damnati ab igne infernali crucientur, Scholastici in diversas abeunt sententias. Qvantum ad rem ipsam, omnes inter se Thomistæ sc. & Scotistæ conveniunt, Spiritus nempe malos cruciari ab igne infernali. Commune fundamentum, qvod afferunt est locus *Matth. XXV. Dæmones*, inqvit Thomas, *Suppl. 3. P. q. 70. puniuntur ab illô igne, in qvem corpora damnatorum projicientur post resurrectionem, & hoc patet per sententiam Domini Matth. XXV*: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qvi paratus est *Diabolo & Angelis ejus.* In modô a valdè inter se dissentiunt. Thomas *4. Sentent. Dist. 44. q. 3. a. 3.* Vazqvez D. 243. q. 64. a. 4. 5. 6. p. 732. Bonaventura *in 4. d. 44. p. 2. a. 3. q. 2.* & alii statuunt, *torqveri Dæmones ab*

igne

igne per detentionem, ut contra voluntatem ſuam in illô detineantur. Dubium verò eſt, qvâ ratione ignis Spiritum detinere poſſit. Reſpondet Thomas, *id igni non competere qvà tali & ex ſuâ naturâ, ſed in qvantum ſit inſtrumentum divinæ juſtitiæ.* Qvô autem modô detentio ſit pœna Spirituum, vide apud Scotum 4. *Diſtinct.* 44. *q.* 2. Altera eſt Scoti, Richardi, Occami, Gabrielis *q.* 3. *a.* 2. *Concl.* 5. qvi ſtatunt, *Dæmones torqveri ab igne per cognitionem actualem ab eô derivatam.* Sed reſpondet Vazqvez *D.* 243. *q.* 64. *a.* 4. *c.* 3. hoc eſſe contra experientiam. Dæmones enim, ut conſtat ex energumenis, multa alia conſiderare. Alii putant, qvòd *vivendô ignem infernalem patientur Dæmones.* Ad hoc reſpondet Thomas *l. c. Videre aliqvid eſſe potius perfectionem videntis, & viſionem qvandoq; triſtitiam afferre, id viſioni tamen qvà tali per accidens convenire.* Porrò non pauci ſunt, qvi exiſtimant, *ignem infernalem affligere Spiritum, in qvantum apprehendatur à Dæmonibus, ut ſibi nocivum & diſconvenientem.* Ad hoc reſpondet Scotus 4. *Diſt.* 44. *q.* 2. *Si ſic affligerentur Dæmones, non verâ, ſed falsâ exiſtimatione affligerentur, qvia falsò putarent, ignem ſe cremare.* Reliqvas Scholaſticorum opiniones vide ap. Vazqvez. *l. c.* Sixtus Senenſis *l.* 5. *B. S. anno.* 141. putat, *Diabolos torqveri ſolùm apprehenſione apparentis mali.* Sed hunc refutat Vazqvez *l. c.* qvem vide ex profeſſo. Nos hîc ἐποχὴν eligimus & dicimus, qvòd paratus qvidem ſit Diabolis ignis infernalis, ut Scriptura innuit, qvòd v. paratus ſit, ut agat in illos, hoc Scriptura non dicit. Melius eſt enim dubitare de occultis, qvàm ligitare de incertis. Conf. Dn. D. Calov. *Syſt. Loc. Theol. T.* 4. *p.* 324.

TH. XLIX.

§. 58. Pœnæ infernalis DURATIO ſignificatur nomine ÆTERNITATIS, Cruciabuntur enim *Diaboli & damnati homines igne æternô*, ut ſonat ultimum definitionis malorum Angelorum vocabulum. Hujus pœnæ infernalis æternitas firmatur

1. *Scripturæ S. teſtimoniis.* Vide, qvæ ſuprà in theſi præcedente adduximus. Et cumprimis perpende *v.* 41. & 46. *Cap. XXV. Matth.* Nam qvòd Chriſtus verſ. 41. dixerat ignem æternum v. 46. interpretatur per κόλασιν αἰώνιον, imò v. 41. in noviſſimô die ſeſe his uſurum verbis aſſerit: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qvi paratus eſt Diabolo & Angelis ejus.* Qvô ipsô oſtendit, Angelos malos & homines impios eôdem judiciô in die noviſſimô eſſe condemnandos. Qvemadmodum igitur

impii homines intrabunt εἰς κόλασιν αἰώνιον, ita & Angeli mali. Unde etiam D. Johannes Draconem, bestiam & pseudoprophetam conjungit, & de iis dicit, qvòd *cruciandi sint die ac nocte in secula seculorum* Apoc. XX, 10. *Qvâ phrasi continuatio perpetua cruciatuum infernalium denotatur.* Hinc Andreas Cæsariensis *in h. l.* ità commentatur: *Futuri seculi statum, in qvô impios nullam requiem habituros prædicit, diem & noctem vocat, non qvasi ibi extet spatium, qvòd divinô solis motu mensuretur, sed qvia ad præsentis temporis consvetudinem, qvod per noctes & dies conficitur, numeratur. Aut per diem vitæ ratio, qvam Sancti tenent, denotatur: per noctem autem impiorum hominum cruciatus, qvos apud inferos luent.*

2. Deinde pœnæ infernalis æternitas roboratur *certis argumentis è Scripturâ S. deductis.* Sic n. colligimus: Si ira DEI manet super incredulos & damnatos, utique æterna erit eorum damnatio: qvam consequentiam ipse agnoscit Christus. Sed verum prius, ùt liqvet *Joh. III. 16. Deut.* XXXII. *22. Sir. V. 7* E. Vim hujus argumenti rectè perpendit Chrysostomus, qvando in locum Johanneum ita commentatur: *Johannes Baptista non dicit: ira DEI manet in ipsô, sed super ipsum, ne intelligatur pœna aliqvando transitura.* Porrò ita argumentatur: Si pœnæ damnatorum hominum erunt æternæ; utiqve & pœnæ Diabolorum erunt æternæ: Diabolos enim & damnatos homines fore ejusdem supplicii socios, patet ex verbis Christi *Matth.* XXV, 41. Atqvi verum est antecedens. E. & consequens. Plura ob chartæ angustiam hâc vice non addimus.

3. *Piorum veterum suffragiis: Qvibuscunq; dixerit Dominus, discedite à me maledicti in ignem æternum; isti erunt semper damnati.* Irenæus *lib. 4. adv. hæres: cap. 47. Diaboli & omnium impiorum credimus æterna tormenta.* Hieronym. *in cap. 66. Es. Tom. V. p. 260. Sicut sancti incessabile habent gaudium, ita injusti indesinentem pœnam: dicuntur enim ituri in supplicium æternum h. e. numqvam finiendum.* Theophylactus *in Com. Matth.* XXV. *Procul à beatâ Paradisi patria exulati cruciabuntur in Gehennâ perpetuâ, numqvam lucem visuri, numqvam refrigerium adepturi; sed per millia, millium annorum in infernô cruciandi, nec inde umqvam liberandi. Ubi nec qvi torqvet, aliqvãdo fatigatur, nec, qvi torqvetur, aliqvando moritur. Sic n. ignis ibi consumit, ut semper reservet; sic tormẽta aguntur, ut semper renoventur. Ardebunt miseri in igne æternô in æternum & ultrà, sic morientur, ut semper vivãt, & sic vivent, ut semper moriantur.* Bernhard. *in lib. mediat, cap. 3. col. 1193.*

Plura

Plura Pâtrum dicta huc facientia vide ap. B. Gerh. *Tract. de Infernô* §. 59. *p.* 223. *& particulam æternitatis*, qvæ ultima est in definitione modò enucleata, oppone

I. ORIGENISTIS, vel ut nonnulli volunt, CERINTHIANIS. De Origene (qvi propter assiduum & indefessum scriptionis laborem cum Dydimô Grammaticô Adamantius dictus fuit) Augustinus *de Hæres. hæres.* 43. scribit, *qvòd putaverit, etiam Diabolos cum omnibus damnatis spem habere liberationis ex infernô.* Et lib. de Eccles. dogm. *cap.* 9. refert, Origenem delirâsse, Dæmones vel homines impios post tormenta qvasi suppliciis expurgatos, illos qvidem in Angelicam, qvâ creati sunt, redituros dignitatem, istos verò justorum societate potituros, eò qvòd hæc divinæ conveniat pietati, ne qvid ex rationali pereat creatura, sed qvôlibet modô salvetur. Unde & *Liberatores* dicti fuêre. Vide Origenem ipsum *lib.* I. περὶ Ἀρχῶν *cap.* 6. *Hom.* 8. *in Josuam & Hom.* 8. *in Johannem.* Sunt tamen, qvi Origenem ab hôc errore liberare conantur, & priores sententias ab iniqvis ejus æmulis scriptis ipsius fuisse insertas, moti verbis illius, qvæ extant *Hom.* 14. *in Levit.* Ubi qvis &c. *Hom.* 18. *in Num. In exposit. Ps.* XXXVII. hortatur peccatorẽ, ut in hôc seculô se præparet ad flagella, ne ignibus æternis reservetur. Plura dicta, qvæ ex Origenis scriptis collegerunt Jacobus Merlinus *in Apolog. pro Origene*, Rusca, l. 5. c. 30. 31, 32. Elmenhorst. ad Gennad. c. 19. Baronius Annalista, Possevius n Appar. & Sixtus Senensis *lib.* 5. *B. S. annot.* 41. *p.* 377. vide apud Gerh. *tract. de Infern.* §. 62. *p.* 228. Eundem errorem admiscuerunt nonnulli scriptis Gregorii Nyssæni, qvem Apologetico purgat Germanus Patriarcha Constant. apud Photium in Mirob. 233.

II. ANABAPTISTIS, qvi superiore seculô docere cœperun, *omnes damnatos, atq; ipsos etiam Diabolos tandem salvandos esse, & pœnis seu cruciatibus ipsorum, qvos peccatis suis promeriti sunt, finem aliqvando impositum iri*, qvem errorem damnat & rejicit Confessio Augustana *art.* XVII.

A qvâ Origenicâ & Anabaptisticâ opinione num immunes sint Papæi, ipsi viderint. Qvemadmodum enim Origenes *Hom.* 27. *in Num.* disputat, Animas post resurrectionem non subitò, sed per multas mansiones ascensuras ad summa, donec perveniant ad Patrem luminum; Ita Pontificii fingunt Purgatorium infernô proximum, in qvod relegant animas eorum, qvi nondum plenè à peccatis venialibus purgati sunt,

nedum pro temporalibus pœnis peccatorum perfectè satisfecerunt, in fide tamen Christi ex hâc vitâ discesserunt, illis tamdiu in purgatoriô sudandum statuunt, donec peccatorum maculis purgatis puri & mundi in cœlum subvolent.

Nec obstat (α) qvòd *nomen æternitatis interdum accipiatur pro tempore diuturnô*, sicut vox עולם non semper infinitam æternitatem ac absolutam perpetuitatem, sed qvandoqve longioris temporis spatium exprimit, uti videre est *Gen. XVII. 8. Exod. XXI. 6.* Confer Buxtorff. Lexic. *p. 560.* עולם *est spatium 50. annorum. Kaschi ad Exod. XXI, 6.* vid. & AbenEsram. *h. l.* Nam vocem αἰώνιον *Matth. XXV, 41. 46.* notare æternitatem nullô unqvam tempore finiendam ità probamus: Qvô sensu vita beata dicitur æterna; eô etiam sensu suplicium damnatorum dicitur æternum vi oppositionis, & conjunctionis *Dan. XII. 2.* Jam verò vita beatorum eô sensu dicitur æterna, qvòd nullô unqvam tempore sit finienda. Ergo eôdem sensu supplicium damnatorum æternum dicitur. Qvod argumentum etiam Augustinus Origeni & asseclis, qvos *Doctores misericordiæ* appellat, *lib. cont. Priscill. & Origen. c. 6.* opponit. Conf. Jacob. Raupii. *Bibl. Portatil. l. 2. P. 7. Sect. 2. q. 2. c. 5. observ. 1. p. 224.*

Nec (β) perpetuitatem suppliciorum infernalium infringit locus *Esai. XXIV. 22* Congregabuntur in die judicii (militia cœli, & Reges impii) *in congregatione unius fascis in puteum, & claudentur in carcere, & post multos dies visitabuntur.* Resp. (1.) Post multos dies visitari nonnullis idem est, qvod *semper visitari*, qvòd Scriptura nominibus temporis describat æternitatem per qvandam συγκατάβασιν. Et *Scripturæ sanè consvetudo est, ut sæpe aliqvam temporis differentiam usurpet, qvô permansionem qvandam & durationem rei, qvam narrat, in illa eâdem temporis differentiâ significet*, inqvit Ribera *in Cap. 1. Hoseæ.* Alii respondent:

(2.) Hîc non agi de visitatione *gratiæ*, qvâ damnati ex infernô sint liberandi, vel pœna eorum mitiganda, sed de visitatione *iræ*, qvâ post multos dies, h. e. post multa seculorum millia damnati ad rediviva & renovata semper deposcentur supplicia.

(3.) Qvidam conferunt vers. 21. ubi oppositio *fit inter exercitum excelsum, & inter Reges terræ super terrâ*, ubi per exercitum illum intelligunt Diabolos in aëre regnantes *Eph. II, 2.* qvi cum damnatis in æternum cruciabuntur.

Sunt

Sunt (4.) qvi hunc locum accipiunt *de Sole, Lunâ & Stellis*, qvæ in Scripturis usitatissimè vocantur militia cœli *Deut. XVII, 3. Esai. XL, 26. Jerem.* XIX. 13. de qvibus statim additur vers. 23. erubescet Sol, & confundetur Luna. Conf. Sanctium in *h. l.* B. Gerh. *loc. de Inferno. p. 230.*

Nobis (5.) hic placet sensus: *post multos dies visitari h. l. idem esse, ac excitari à mortuis, ut sistantur coram tribunali Christi & audiant sententiam æternæ condemnationis.*

Nec (γ) est, qvòd nobis hîc opponant ea Scripturæ dicta, qvæ *misericordiam DEI manere probant in secula*, velut *Ps.* LXXVII, 8. 9. 10. *Ps.* LXXX. 9. *Ps. CIII. 8. 9. seqq. Esai. XII, 1. Mich. VII, 9.* Nam hæc *dicta non ad futurum, sed ad præsens seculum; nec ad Diabolos & damnatos, sed ad pœnitentes*; vel ut D. Augustinus *l. 21. de C. D.* loqvitur, *ad vasa misericordiæ, & ad filios promissionis pertinere, qvilibet videt.* Hinc rectè Autor *imperf. Oper. Hom. 52.* ità ait: *Sicut tempus misericordiæ judicium non suscipit, sic & tempus judicii misericordiam non recipit.* Et D. Hieronym. *l. 3. contra Pelag.* scribit: *Cessabit tunc misericordia, & locum habebit justitia.*

Nec (δ) obstant pœnarum infernalium æternitati verba Salvatoris *Joh. X, 16: Et alias oves habeo, qvæ non sunt ex caulâ hâc, & illas me oportet adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile & unus Pastor.* Loqvitur enim Christus tantùm de congregatione aliarum ovium in unum ovile Ecclesiæ militantis, qvæ fit per prædicationem Evangelii in hôc mundô. Imperitè igitur & erroneè ad statũ Ecclesiæ triumfantis in futurô seculô accommodatur, qvum Scriptura hoc nusquam asserat, sed opinioni huic erroneæ passim διαῤῥήδην contradicat.

Nec (ε) Pœnarum infernalium æternitati *obstat DEI justitia*, cum peccata sint temporalia ac finita; pœnæ v. Diabolorum & damnatorum infinitæ. Inter delictum autem & pœnam debeat esse proportio. Peccaverunt enim Diaboli & damnati *contra Deum æternum & infinitum, rejecerunt infinitum* Christi meritum, spreverunt *infinitum & æternum bonum.* Justum ergo & æqvum est, ut pœnam infinitam ac æternam luant. Hinc rectè Gregorius *in Dial. Ad magnam Justitiam judicantis pertinet, ut nunqvam careant supplicio, qvi nunqvam voluerunt carere peccato.* Mittimus igitur Origenistas &, qvi hos seqvuntur, Anabaptistas, & approbamus decretum *Concil. Synod. Oecum. 5. An. 552. celebratæ artic. 9. Si qvis dicit, aut sentit, temporanea esse Damonum & impiorum*

tormenta, finemq; ea tempore aliqvô habitura, sive restitutionem Dæmonum aut impiorum hominum futuram, anathema sit. Anathema sit Origenes, qvi & Adamantius dictus est, & hæc promulgavit unà cum ejus detestandis & exsecrandis dogmatibus, & homini omni, qvi hæc sentit & asserit, aut aliqvâ ex parte qvocunq; prorsus tempore ea defendere audet. Et hoc argumentum in terminis qvasi confutavit Paulus ὄλεθρον αἰώνιον justitiæ divinæ adscribens *II. Thessal. I, 6. 7. 8. 9.* Deniqve vocabulum *æternitatis* opponimus

III. SOCINIANIS, qvorum qvidam mentem suam de hâc qvæstione aperire refugiunt, id qvod de Martinô Ruardô refert Dn. D. Calovius *in Socin. profligat. art. 3. Controv. ult. p. 1117.* Qvidam v. existimant Diabolos & damnatos statim post extremum judicium in nihilum redigendos. Hinc Smalcius *de Divin. Christi cap. XXIV. p. 146. non tantùm*, ait, *Christum Diabolos & impios æternum delere posse, sed & Cap. XXI. p. 133. actu delendos annuit.* Crellius *Comment. in I. Cor. XV. p. 113.* ità differit: *Igni ergò æterno illi Christi hostes, de qvibus hîc sermo est, qvi qvidem sunt Diaboli & Angeli ejus, vel saltem qvorum nomine illi qvoqve continentur (cum impiis) cruciabuntur, & ità delebuntur.* Socinianorum vestigiis insistunt ARMINIANI. Sic enim Henricus Slatius *in apert. testif. f. 13.* satis apertè suam edisserit sententiam. *Veri fideles tantùm resurrectionis participes erunt, non impii, aut si qvi resurgent, ii, unà cum impiis, qvi in extremô sustersti tes erunt die, aliqvando cruciabuntur & tunc in nihilum redigentur. Si autem in nihilum redigentur, & mortui sunt,* ut Osterodus *in Instit. c. 42.* loqvitur, *non certè cruciatus amplius sentient.* Vide modò laudati Dn. D. Calovii *Considerationem Arminianismi Cap. XX. Disp. XX. §. 4. p. 519.*

Nec est, qvòd (*a*) Smalcius obvertat, ignem *infernalem æternum & inextingvibilem dici tantùm ratione effectûs*, qvòd Diabolis & damnatis æternum exitium afferat. Sic enim contra Franz. *p. 414.* argumentatur: *Ignis Marc. IX. 43. inextingvibilis dici potest, qvomodo etiam ignis, qvô Sodoma exusta est, æternus appellatur, cùm tamen hodiè is nullus sit, qvum scil. æternum exitium attulit isti civitati.* Verùm ignem æternum & inextingvibilem esse *ratione actûs* tùm ipsa litera importat *Esai. LXVI. 24. Marc. IX. 44.* ubi actus extinctionis diserte negatur: tùm *oppositio* inter ignem infernalem & vitam æternam *Matth. XXV, 49.* satis evincit.

Qvem

Qvemadmodum enim vita, in qvam intromittentur electi, æterna dicitur, qvòd perpetuò sit duratura sine fine: ita qvoq; ignis æternus vel æternum suppliciũ vocatur, non qvoad *effectum*, sed *perpetuum durationis actum*. Scitè ergo Augustinus *Serm. 81. de Temp. Propterea ignis æternus inextingvibilis dicitur, non solùm qvia ipse non extingvitur, sed qvia nec eos, qvos suscipit, extingvet, aut perimet. Scriptura enim dicit, qvia & peccatores induunt incorruptionem scil. non ad honorem vitæ, sed diuturnitatem supplicii profuturam.* Qvid? qvòd ignis, cujus pœnam sustinuit Sodoma, *Jud.* vers. 7. non dicatur inextingvibilis, sed æternus, nec de terrâ Sodomitica per se accipendum, qvùm explicari possit de ipsis Sodomitis, pœnem ignis infernalis luentibus.

Nec (*b*) Dæmonum & damnatorum annihilationem inferunt verba *Matth. X*, 28. qvibus Salvator discipulos suos alloqvitur, inqviens: *Nolite timere eos, qvi occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum, qvi potest & animam & corpus perdere in inferno*: nam Christus non dicit, DEum ἀποκτεῖναι sed ἀπολέσαι ψυχὴν καὶ σῶμα: qvæ ἀπόλεια etiam cruciatibus fit sempiternis. Verbum enim ἀπολέσαι non *semper destructionem substantiæ notat, sed sæpè bonitatis defectum importat*. Sic domus Israel dicitur ἀπολωλὸς *Matth. X, 6.* XV. 24. Sic utres ἀπολοῦνται, qvi tamen non penitus delentur, sed tantùm disrumpuntur *Marc. II. 22.* Plura exempla huc facientia vide apud B. Balduinum *Comment. in Cap. I. Post. Epist. ad Thess. q. 6. p. 1209.* Scholastici hic distingvunt *inter vitam essentialem & habitualem seu relatam ad aliud*: qvarum illa in esse, hæc in benè esse consistat. Dicunt igitur, animam impii nunqvam perire *qvoad esse*, sed *qvoad benè esse* in perditionem ruere. Vide Gerh *de Infern. §. 37. p. 207.*

Nec est, qvod (*c*) Adversarii nobis opponant locum 1. *Cor. XV*, 24. ubi dicitur, *qvòd DEus evacuaturus sit omnem principatum & potestatem & virtutem*; Nam hunc locum de *terrenis potestatibus* qvidam accipiunt. Et qvamvis de spiritualibus *potestatibus & de Angelis* malis intelligatur, tantùm evacuatio potentiæ, virtutis ac regni eorum designatur, *non verò abolitio essentiæ & qvidditatis*, ut vult Crellius, qvi suam hypothesin nullô vestigiô ex Scripturis potest ostendere.

Nec (*d*) sententiam nostram infringit, qvòd pœna impiorum describatur *per interitum æternum II. Thess. I. 9. per mortem æternam Johan.* IIX,

51. 6.

51.c. XI.26. Nam in his locis mors & *interitus non opponuntur* vinculis & cruciatibus æternis, nec accipiuntur φυσικῶς, de dissolutione animæ & corporis, nedum de annihilatione, sed ΘΕΟΛΟΓΙΚΩΣ tum de miseriâ infernali, tum imprimis de morte gloriæ, vel separatione Dæmonum & damnatorum à visione DEI. Ut enim vita æterna visionem DEI notat: Sic mors æterna est separatio à visione DEI. Vid. Gerh. *l.c.* Dn. D. Calov. *Socinism. profligat. Sect. 10. art. 3. Controv. 3. p. 1121.*

Et ità Bonô cum Deô vidimus Analysin definitionis Angelorum malorum, ejusqve singulas voces sub examen vocavimus, theses nostras sacræ Scripturæ testimoniis roboravimus, & ἀντίθεσιν paucis adjecimus. Colophonem igitur imponimus SECTIONI THETICÆ, PROBLEMATICAM seqventi dissertationi σὺν Θεῷ παλάμᾳ, subjecturi. Interea vitam nostram ita instituamus, ne in castris Satanæ militemus, uti faciunt fœdifragi, Apostatæ, magi, idololatræ, blasphemi, perjuri, immorigeri, homicidæ, grassatores, fures, mendaces &c. sed Jesu Christo, Domino, Regi & capiti nostro fide & obedientiâ adhæreamus, gehennam qvotidiè præ oculis habeamus, & timore illius meliores facti totâ mente, omniqve animô in id incumbamus, ut gehennam effugiamus, nec æternis cruciatibus infernalibus cum Diabolô & Angelis ejus abdicamur. *Non enim finit in gehennam incidere gehennæ meminisse*, inqvit Chrysostomus *Serm. 31. in Cap. XIV. ad Rom.* & Hom. *40. in Matth.* ità scribit: *Verba de gehenna, ne in gehennam devenias, efficiunt & medicinæ loco sunt.* Qvum autem Dæmonia non ejiciantur, nisi precationibus & jejuniô *Matth. XVII, 21.* Ideò Christum, Angelum fœderis *Malach. III. 1*, Angelum creatorum *Col. I. 16*, Angelum Redemtorem. *Gen. XLIIX, 16.* qvi

Dæmona devicit tartareasqve domos,

ardentibus invocamus suspiriis, ut Satanam increpet, à tribunali suô depellat, ipsi accusandi licentiam adimat, potentiam nocendi frangat, eum sub pedes nostros conterat ἐν τάχει i. e. ταχέως nomen pro adverbio *Rom. XV, 20.* & vel tandem illucescere clementer patiatur diem illum Redemtionis, in qvô planè conteretur serpens ille antiqvus, & DEus erit omnia in omnibus *I. Cor. XV, 28.* cui soli sit gloria, laus & benedictio, & nunc & in diem æternitatis AMEN.

Posteriorem ad hanc pertinentem Disputationem, vide post hanc sequentem

FINIS.